SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

IN USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE.

I.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.,

Professor p. o. Theologiae in C. R. Universitate Oenipontana.

CUM APPROBATIONE REVERENDISSIMI ET CELSISSIMI EPISCOPI BRIXINENSIS ET FACULTATE SUPERIORUM.

OENIPONTI.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1868.

S. TH. CAECILII CYPRIANI

OPUSCULA SELECTA.

PRAECEDIT IPSIUS VITA PER PONTIUM EJUS DIACONUM.

CLERICS LIBRARY
THEOLOGIANS
O. F. M.
PROV. S. BARBARAE

ELENCHUS OPERUM QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

1. De vita et passione S. Cypriani per Pontium ejus diaconum 1
2. S. Cypriani liber ad Demetrianum . 35
3. S. Cypriani liber de catholicae Ecclesiae unitate 67

Accedit dissertatio apologetica I. Daemon vel invitus testis divinae originis religionis christianae . . . 105

#959

DE VITA ET PASSIONE
S. CAECILII CYPRIANI
EPISCOPI CARTHAGINENSIS ET MARTYRIS
PER
PONTIUM EJUS DIACONUM [1]).

CAPUT I.

Auctor rationes scribendi exponit. Acta Martyrum olim diligenter litteris fuisse consignata perhibet.

Cyprianus religiosus antistes, ac testis Dei gloriosus, tametsi multa conscripsit, per quae memoria digni nominis supervivat; etsi eloquentiae ejus ac Dei gratiae larga foecunditas ita se copia et ubertate sermonis extendit, ut usque in finem mundi fortasse non taceat: tamen, quia operibus ejus ac meritis etiam haec praerogativa debetur, ut exemplum suum in litteras digeratur; placuit sum-

---

[1]) Libellus hic a S. Hieronymo *egregium volumen* vocatur et ab eruditis primae inter veterum Martyrum acta sive vitas atque elogia dignationis censetur. Cf. Lumper Hist. theolog. crit. ss. PP. t. 13, 45 ss.

matim pauca conscribere, non quod aliquem vel gentilium lateat tanti viri vita, sed ut ad posteros quoque nostros incomparabile et grande documentum in immortalem memoriam porrigatur.

Certe durum erat, ut, cum majores nostri plebejis et catechumenis martyrium consecutis, tantum honoris pro martyrii ipsius veneratione dederint, ut de passionibus eorum multa, aut, prope dixerim, pene cuncta conscripserint, ut ad nostram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenirent; Cypriani tanti sacerdotis et tanti martyris passio praeteriretur, qui et sine martyrio habuit quae doceret, et quae dum vixit gesserit, non paterent; quae quidem tanta, atque tam magna et mira sunt, ut magnitudinis contemplatione deterrear, ac imparem me esse confitear ad proferendum digne pro meritorum honore sermonem, nec posse sic prosequi facta tam grandia, ut, quanta sunt, tanta videantur: nisi quod numerositas gloriarum sibimet ipsa sufficiens, alieno praeconio non eget.

Accedit ad cumulum, quod et vos de eo multum, aut, si fieri potest, totum desideratis audire, concupiscentes ardore flagranti, vel facta ejus cognoscere, etsi interim viva verba tacuerunt. In qua parte si dixero nos opibus

facundiae defici, minus dico. Facundia enim ipsa deficit digna facultate, quae desiderium vestrum pleno spiritu satiet. Ita utrimque graviter urgemur: siquidem ille nos virtutibus suis onerat, vos nos precibus fatigatis.

CAPUT II.

Quae a Cypriano post baptismum facta sunt, enarrat. Continentia necessaria. Aliae Cypriani virtutes.

Unde igitur incipiam? unde exordium bonorum ejus aggrediar, nisi a principio fidei, et nativitate caelesti? siquidem nominis Dei facta non debent aliunde numerari, nisi ex quo Deo natus est. Fuerint licet studia, et bonae artes devotum pectus imbuerint: tamen illa praetereo, nondum enim ad utilitatem nisi saeculi pertinebant, postquam et sacras litteras docuit, et mundi nube discussa in lucem sapientiae spiritalis emersit, si quibus ejus interfui, si qua de antiquioribus comperi, dicam: hanc tamen petens veniam, ut quidquid minus dixero, (minus enim dicam necesse est), ignorantiae meae potius, quam illius gloriae derogetur.

Inter fidei suae prima rudimenta nihil aliud credidit Deo dignum, quam si continentiam tueretur: tunc enim posse idoneum

fieri pectus, et sensum ad plenam veri capacitatem pervenire, si concupiscentiam carnis robusto atque integro sanctimoniae vigore calcaret. Quis unquam tanti miraculi meminit? Nondum secunda nativitas novum hominem splendore toto divinae lucis oculaverat, et jam veteres ac pristinas tenebras sola lucis paratura vincebat. Deinde quod majus est, cum de lectione divina quaedam jam non pro conditione novitatis, sed pro fidei festinatione didicisset, statim rapuit quod invenit promerendo domino profuturum. Distractis rebus suis ad indigentiam pauperum sustentandam, tota praedia pretio dispensans, duo bona simul junxit, ut et ambitionem saeculi sperneret, qua perniciosius nihil est, et misericordiam, quam Deus etiam sacrificiis suis praetulit, quam nec ille, qui legis omnia mandata servasse se dixerat, fecit, impleret: et praepropera velocitate pietatis pene ante coepit perfectus esse, quam disceret.

Quis, oro, de veteribus hoc fecit? Quis de antiquissimis in fide senibus, quorum mentes et aures per plurimos annos divina verba pulsaverant, tale aliquid impendit, quale adhuc rudis fidei homo, et cui nondum forsitan crederetur, supergressus vetustatis aetatem, gloriosis et admirandis operibus perpetravit?

Nemo metit statim, ut sevit: nemo vindemiam de novellis scrobibus expressit: nemo adhuc unquam de noviter plantatis arbusculis matura poma quaesivit. In illo omnia incredibilia cucurrerunt. Praevenit, si potest dici, (res enim fidem non capit) praevenit, inquam, tritura sementem, vindemia palmitem, poma radicem.

CAPUT III.

Ad sacros ordines cito promovetur. Sanctos sibi imitandos jugiter proponit.

Ajunt Apostoli litterae debere neophytos praeteriri, ne stupore gentilitatis nondum fundatis sensibus adhaerente, aliquid in Deum novitas inerudita peccaret. Ille fuit primus, et puto solus exemplo, plus fide posse, quam tempore promoveri. Sed etsi in Apostolorum Actis eunuchus ille describitur, quia toto corde crediderat, a Philippo statim tinctus; non est similis comparatio. Ille enim et Judaeus erat, et de templo Domini veniens, Prophetam legebat Isaiam, et sperabat in Christo, etsi nondum eum venisse crediderat: hic de imperitis gentibus veniens, tam matura coepit fide, quanta pauci fortasse perfecerunt. Mora denique circa gratiam Dei nulla, nulla dilatio.

Parum dixi: Presbyterium et Sacerdotium statim accepit. Quis enim non omnes honorum gradus crederet tali mente credenti? Multa sunt, quae adhuc plebeius, multa, quae jam Presbyter fecit, multa quae ad veterum exempla justorum, imitatione consimili prosecutus, promerendo Dominum totius religionis obsequio praestitit. Nam et sermo illi de hoc fuerat usitatus, ut, si quem praedicatum Dei laudatione legisset, suaderet inquiri propter quae facta Deo placuisset. Si Job Dei testimonio gloriosus, dictus est verus Dei cultor, et cui in terris nemo compararetur, faciendum docebat ille, quidquid Job ante fecisset; ut dum et nos paria facimus, simile in nos Dei testimonium provocemus.

Contemptis ille dispendiis rei familiaris, in tantum exercitata virtute profecit, ut nec pietatis temporalia damna sentiret. Non illum penuria, non dolor fregit, non uxoris suadela deflexit [1]), non proprii corporis dira

[1]) Ex hoc loco deduxerat editor anglus (Fellus) Cyprianum uxorem habuisse: sed re attentius perspecta, advertit hic Pontium de Jobo non de Cypriano loqui, ut ipse lectorem monet in emendandis. In eundem scopulum impegerat R. P. Ant. Pagi ad an. 248, quod erratum vir haud minus sincerus quam eruditus in altera editione pariter correxit. Ruinart.

poena concussit. Permansit in suis sedibus fixa virtus, et altis radicibus fundata devotio nullo diaboli tentantis impetu cessit, quominus Deum suum, fide grata, etiam inter adversa benediceret. Domus ejus patuit cuicunque venienti. Nulla vidua reversa est sinu vacuo: nullus indigens lumine, non illo comite directus est: nullus debilis gressu, non illo bajulo vectus est: nullus nudus auxilio de potentioris manu, non illo tutore protectus est. Haec debent facere, dicebat, qui Deo placere desiderant. Et sic per bonorum omnium documenta decurrens, dum meliores semper imitatur, etiam ipse se fecit imitandum.

CAPUT IV.

Cyprianus a Caecilio ad fidem adductus.

Erat sane illi etiam de nobis contubernium viri justi et laudabilis memoriae Caecilii [1]), et aetate tunc et honore Presbyteri, qui eum ad agnitionem verae divinitatis a saeculari errore correxerat. Hunc toto honore atque omni observantia diligebat, obse-

---

[1]) Ab eo, teste Hieronymo in l. de vir. ill. c. 67. Cyprianus Caecilii nomen accepit.

quenti veneratione suspiciens, non jam ut amicum animae coaequalem, sed tanquam novae vitae parentem. Denique ille demulsus ejus obsequiis, in tantum dilectionis immensae merito provocatus est, ut de saeculo excedens, arcessitione jam proxima commendaret illi conjugem ac liberos suos, ut quem fecerat de sectae [1]) communione participem, postmodum faceret pietatis haeredem.

CAPUT V.

Adhuc neophytus episcopatum assumere compulsus.

Longum est ire per singula: cuncta ejus facta onerosum est enumerare. Ad probationem bonorum operum solum hoc arbitror satis esse, quod judicio Dei et plebis favore, ad officium Sacerdotii, et Episcopatus gradum adhuc neophytus, et, ut putabatur, novellus electus est. Quamvis in primis fidei suae adhuc diebus et rudi vitae spiritualis aetate, sic generosa indoles reluceret; ut, etsi nondum officii, spei tamen fulgore resplendens, imminentis Sacerdotii totam fiduciam

---

[1]) Notum est vocem *sectae* passim a veteribus bono in sensu accipi pro schola, coetu religioso, hinc etiam de religione christiana adhiberi.

polliceretur. Non praeteribo etiam illud eximium, quemadmodum cum in dilectionem ejus et honorem totus populus adspirante Domino prosiliret, humiliter ille secessit, antiquioribus cedens, et indignum se titulo tanti honoris existimans, ut dignus magis fieret. Magis enim dignus efficitur, qui, quod meretur, excusat. Quo tunc ardore plebs aestuans fluctuabat, spiritali desiderio concupiscens, ut exitus docuit, non tantum Episcopum: in eo enim, quem tunc latenti divinitatis praesagio taliter flagitabat, non solummodo sacerdotem sed et futurum etiam Martyrem requirebat. Obsederat fores domus copiosa fraternitas, et per omnes aditus sollicita charitas circuibat. Potuisset fortasse tunc illi Apostolicum illud evenire (2. Cor. 11, 33.), quod voluit, ut per fenestram deponeretur; si cum Apostolo etiam ordinationis honore similaretur. Erat videre ceteros omnes suspenso et anxio spiritu expectare venturum, cum gaudio nimio excipere venientem.

Invitus dico; sed dicam necesse est. Quidam illi restiterunt [1]), etiam ut vinceret.

---

[1]) Quinque nimirum presbyteri, inter quos erant Novatus et Fortunatus cum Felicissimo quodam laico variis sceleribus contaminato, quem postea Novatus propria auctoritate diaconum constituit.

Quibus tamen quanta lenitate, quam patienter, quam benevolenter indulsit, quam clementer ignovit, amicissimos eos postmodum et inter necessarios computans mirantibus multis. Cui enim posset non esse miraculo, tam memoriosae mentis oblivio?

CAPUT VI.

Episcopalibus virtutibus emicat.

Exinde quemadmodum se gesserit, quis referre sufficiat? quae illi pietas? qui vigor? misericordia quanta? quanta censura? Tantum sanctitatis et gratiae ex ore ejus lucebat, ut confunderet intuentium mentes. Gravis vultus et laetus; nec severitas tristis, nec comitas nimia, sed admixta utrinque temperies, ut esset ambigere, vereri plus an diligi mereretur: nisi quod et vereri et diligi merebatur. Sed nec cultus fuit dispar a vultu, temperatus et ipse de medio. Non illum superbia saecularis inflaverat, nec tamen prorsus affectata penuria sordidarat: quia et hoc vestitus ge-

---

Hi primum electioni S. Cypriani obstiterunt, post aliquot vero annos, occasione accepta ex vigore apostolico quo S. Episcopus disciplinam ecclesiasticam quoad lapsos in persecutione tuebatur, apertum schisma confiarunt.

nus a jactantia minus non est, quam ostentata taliter ambitiosa frugalitas. Quid autem circa pauperes Episcopus faceret, quos catechumenus diligebat? Viderint pietatis Antistites, seu quos ad officium boni operis instruxit ipsius ordinis disciplina, seu quos sacramenti religio communis, ad obsequium exhibendae dilectionis artavit. Cyprianum de suo talem accepit cathedra, non fecit.

CAPUT VII.

Proscriptus et ad leonem postulatus, prudenter secedit.

Statim denique pro talibus meritis etiam proscriptionis gloriam consecutus est. Nec enim aliud oportebat, quam ut eum, qui intra secretam conscientiae latebram, religionis et fidei toto honore florebat, etiam publice celebrata gentilium fama titularet.

Potuisset quidem tunc pro velocitate, qua semper omnia consecutus est, etiam martyrii circa eum corona debita properare; maxime cum et suffragiis saepe repetitis ad leonem postularetur; nisi per omnes ordines gloriarum transeundum illi esset, et sic ad summa veniendum; et nisi imminens ruina ope tam faecundi pectoris indigeret. Finge enim tunc illum martyrii dignatione translatum.

Quis emolumentum gratiae per fidem proficientis ostenderet? Quis virginis ad congruentem pudicitae disciplinam et habitum sanctimoniae dignum, velut frenis quibusdam lectionis Dominicae coerceret? Quis doceret poenitentiam lapsos, veritatem haereticos, schismaticos unitatem, filios Dei pacem, et Evangelicae precis legem? Per quem gentiles blasphemi repercussis in se iis, quae nobis ingerunt, vincerentur? A quo christiani mollioris affectus circa amissionem suorum, aut, quod magis est, fidei parvioris consolarentur spe futurorum? Unde sic misericordiam, unde patientiam disceremus? Quis livorem de venenatae invidiae malignitate venientem dulcedine remedii salutaris inhiberet? Quis martyres tantos exhortatione divini sermonis erigeret? quis denique tot confessores frontium notatarum secunda inscriptione signatos, et ad exemplum martyrii superstites reservatos, incentivo tubae caelestis animaret? Bene, bene tunc, et vere spiritaliter contigit, quod vir necessarius, tam multis et tam bonis rebus a martyrii consummatione dilatus est.

Vultis scire secessum illum non fuisse formidinem? Ut nihil aliud excusem, ipse postmodum passus est: quam passionem

utique ex more vitaret, si et ante vitasset. Fuit vero formido illa, sed justa: formido, quae Dominum timeret offendere: formido, quae praeceptis Dei mallet obsequi, quam sic coronari. Dicata enim in omnibus Deo mens, et sic divinis admonitionibus mancipata, credidit se, nisi Domino latebram tunc jubenti paruisset, etiam ipsa passione peccare.

CAPUT VIII.

Idque accidit ex divinae providentiae consilio.

Puto denique etiam nunc aliqua de dilationis utilitate disserenda, tametsi jam dudum pauca perstrinximus: Per haec enim, quae videntur postmodum subsecuta ut sequitur probemus, secessum illum non hominis pusillanimitate conceptum, sed, sicuti est, vere fuisse divinum.

Vastaverat Dei populum persecutionis infestae, insolens atque acerba grassatio: et quia omnes decipere una fraude non poterat artifex hostis, quacunque miles incautus prodiderat latus nudum, dispari genere saeviendi, singulos diversa strage dejecerat. Debebat esse, qui posset saucios homines et varia expugnantis inimici arte jaculatos, adhibita

medicinae caelestis medela pro qualitate vulneris vel secare interim, vel fovere. Servatus est vir ingenii, praeter caetera, etiam spiritaliter temperati: qui inter resultantes colliden-tium schismatum fluctus, Ecclesiae inter medium, librato limite gubernaret. Nonne haec, oro, consilia divina sunt? Hoc fieri sine Deo potuit? Viderint, qui putant posse fortuito ista contingere. Ecclesia illis clara voce respondet, dicens: Ego sine Dei nutu necessarios reservari non admitto, non credo.

CAPVT IX.

Grassante dira peste plebem suam ad succurrendum ea infectis, etiam ethnicis, efficaci oratione adducit.

Percurramus tamen caetera, si videtur. Erupit postmodum lues dira, et detestabilis morbi vastitas nimia, innumeros per diem populos a sua quemque sede abrupto impetu rapiens, continuatas per ordinem domos vulgi trementis invasit. Horrere omnes, fugere, vitare contagium; exponere suos impie: quasi cum illo peste morituro, etiam mortem ipsam aliquis posset excludere. Jacebant interim in tota civitate non jam corpora, sed cadavera plurimorum, et misericordiam in se trans-

euntium contemplatione sortis mutuae flagitabant. Nemo respexit aliud, praeterquam lucra crudelia. Nemo similis eventus recordatione trepidavit. Nemo fecit alteri, quod sibi fieri voluit.

Quid inter haec egerit Christi et Dei pontifex, qui pontifices mundi hujus tanto plus pietate, quanto religionis veritate praecesserat, scelus est praeterire. Aggregatam primo in loco uno plebem de misericordiae bonis instituit, docens divinae lectionis exemplis, quantum ad promerendum Deum prosint officia pietatis. Tunc deinde subjungit non esse mirabile, si nostros tantum debito charitatis obsequio foveremus; eum perfectum posse fieri, qui plus aliquid publicano vel ethnico fecerit; qui malum bono vincens, et divinae clementiae instar exercens, inimicos quoque dilexerit; qui pro persequentium se salute, sicuti Dominus monet et hortatur, orarit. Oriri facit Deus jugiter solem suum et pluvias subinde nutriendis seminibus impertit; exhibens cuncta ista non suis tantum, sed etiam alienis: et qui se Dei etiam filium esse profitetur, cur non exemplum patris imitatur? Respondere, inquit, nos decet natalibus nostris, et quos renatos per Deum constat, degeneres esse non congruit sed probare potius

in sobole traducem boni patris aemulatione bonitatis.

CAPUT X.

De eodem argumento.

Multa alia et quidem magna praetereo, quae temperandi voluminis ratio non patitur prolixiore sermone replicari, de quibus hoc tantum dixisse satis est: quodsi illa gentiles pro rostris audire potuissent, forsitan statim crederent. Quid christiana plebs faceret, cui de fide nomen est? Distributa sunt ergo continuo pro qualitate hominum atque ordinum ministeria. Multi, qui angustia paupertatis beneficia sumptus exhibere non poterant, plus sumptibus exhibebant; compensantes proprio labore mercedem divitiis omnibus cariorem. Et quis non sub tanto doctore properaret inveniri in parte aliqua talis militiae, per quam placeret et Deo Patri, et judici Christo, et tam bono interim sacerdoti? Fiebat itaque exuberantium operum largitate, quod bonum est apud omnes, non ad solos domesticos fidei. Fiebat plus aliquid quam de incomparabili Tobiae pietate signatum est. Ignoscat ille, et ignoscat iterum, et frequenter ignoscat: aut, ut verius dixerim, merito concedat, tam-

etsi ante Christum plurimum licuit, plus aliquid licuisse post Christum: cujus temporibus plenitudo debetur. Necatos ille a rege et projectos sui tantum generis colligebat.

CAPUT XI.

Pellitur in exilium Curubin.

His tam bonis et tam piis actibus supervenit exilium. Hanc enim vicem semper repraesentat impietas, ut melioribus pejora restituat.

Et quid sacerdos Dei proconsule interrogante responderit, sunt acta, quae referant. Excluditur interim e civitate ille, qui fecerat boni aliquid pro civitatis salute; ille, qui laboraverat, ne viventium oculi paterentur infernae sedis horrorem; ille, inquam, qui excubiis pietatis invigilans, pro nefas! ingrata bonitate providerat, ne omnibus tetram civitatis faciem relinquentibus multos exules deserta respublica ac destituta patria sentiret. Sed viderit saeculum, cui inter poenas exilium computatur. Illis patria nimis cara et commune nomen est cum parentibus nos et parentes ipsos, si contra Dominum suaserint, abhorremus. Illis extra civitatem suam vivere gravis poena est: Christiano, totus hic

mundus, una domus est. Unde licet in abditum et abstrusum locum fuerit relegatus; admixtus Dei sui rebus, exilium non potest computare. Adde, quod Deo integre serviens, etiam propria in civitate peregrinus est. Tum enim se carnalibus desideriis continentia sancti Spiritus abstinet, conversationem prioris hominis exponens; etiam inter cives suos, aut prope dixerim, inter parentes ipsos vitae terrestris alienus est. Accedit, quod et si haec alias poena posset videri, in hujusmodi tamen caussis atque sententiis, quas ad probandae virtutis experimenta perpetimur, non est poena, quia gloria est. Sed esto sane, nobis poena non sit exilium. Illis ultimum crimen, et pessimum nefas etiam ipsorum conscientia testis adscribat, qui possunt innocentibus irrogare, quod putant poenam.

Nolo nunc describere loci gratiam, et deliciarum omnium paraturam interim transeo. Fingamus locum illum situ sordidum, squalidum visu, non salubres aquas habentem, non amoenitatem viroris, non viciniam litoris; sed rupes vastas silvarum, inter inhospitas fauces desertae admodum solitudinis avia mundi parte summotum. Posset licet talis locus habere nomen exilii, quo Cyprianus sacerdos Dei venerat, cui si hominum

ministeria deficerent, vel alites, ut Heliae, vel ut Danieli Angeli ministrarent. Absit, absit ut credat aliquis cuilibet minimo, dummodo in confessione nominis constituto, aliquid defuturum. Tantum abest, ut Dei pontifex ille, qui misericordiae semper rebus institerat, horum omnium opibus indigeret.

CAPUT XII.

A multis invisitur. Coelesti visione recreatus, de martyrio subeundo ejusque dilatione divinitus admonetur.

Jam nunc quod secundo posueram loco, cum gratiarum actione repetamus. Provisum esse divinitus etiam pro animo tanti viri apricum et competentem locum, hospitium pro voluntate secretum, et quidquid apponi eis ante promissum est, qui regnum et justitiam Dei quaerunt.

Atque ut omittam frequentiam visitantium fratrum, ipsorum et inde civium charitatem, quae repraesentabat omnia, quibus videbatur esse fraudatus: admirabilem visitationem Dei [1]) non praeteribo, qua antisti-

---

[1]) Ne cui quae de visionibus tum hac in narratione tum passim in epist. S. Cypr. occurrunt fide minus digna videantur conferat quae „de visionum aliorumque coelestium donorum per priora

tem suum sic in exilio esse voluit de secutura passione securum, ut imminentis martyrii pleniore fiducia non exulem tantummodo Curubis sed et martyrem possideret. Eo enim die, quo primum in exilii loco mansimus (nam et me inter domesticos comites dignatio charitatis ejus delegerat exulem voluntarium, quod utinam et in passione licuisset!), apparuit mihi, inquit, nondum somni quiete sopito, juvenis ultra modum enormis: qui cum me quasi ad praetorium duceret, videbar mihi tribunali sedentis tum Proconsulis admoveri. Is ut in me respexit, adnotare statim coepit in tabula sententiam, quam non sciebam, nihil enim de me solita interrogatione quaesierat; sed enim juvenis, qui a tergo ejus stabat, admodum curiosus legit, quidquid fuerat adnotatum. Et quia inde verbis proferre non poterat, nutu declarante monstravit, quid in litteris tabulae illius haberetur. Manu enim expansa et complanata ad spatae modum, ictum solitae animadversionis imitatus; quod volebat intelligi, adinstar liquidi sermonis expressit. Intellexi

---

Ecclesiae saecula copia et ubertate“ erudite disserit doctissimus card. Jos. Aug. Orsi in dissert. apolog. pro SS. Martyrum Perpetuae et Felicitatis orthodoxia c. 4 (in Patrol. lat. Migne 3, 104 ss.)

sententiam passionis futuram. Rogare coepi, et petere continuo, ut dilatio mihi vel unius diei prorogaretur, donec res meas legitima ordinatione disponerem. Et cum preces frequenter iterassem, rursus in tabula coeperat, nescio quid, adnotare. Sensi tamen de vultus serenitate judicis mentem, quasi justa petitione commotam. Sed et ille juvenis, qui jam dudum de passionis indicio gestu potius quam sermone prodiderat, clandestino identidem nutu concessam dilationem, quae ad crastinum petebatur, contortis post invicem digitis significare properavit. Ego quamvis non esset lecta sententia, etsi de gaudio dilationis acceptae laeto admodum corde gauderem; metu tamen interpretationis incertae sic tremebam, ut reliquiae formidinis cor exultans adhuc toto pavore pulsarent.

CAPUT XIII.

Quam visionem auctor interpretatur, et veridicam fuisse probat.

Quid hac revelatione manifestius? quid hac dignatione felicius? Ante illi praedicta sunt omnia, quaecunque postmodum subsecuta sunt. Nihil de Dei verbis imminutum; nihil de tam sancta promissione mutilatum. Sin-

gula denique, secundum quod ostensa sunt, recognoscite. Dilationem petit crastini, cum de passionis sententia cogitaretur: postulans ut res suas die illo, quem impetraverat, ordinaret. Hic dies unus significabat annum, quo ille post visionem acturus in saeculo fuerat. Nam ut manifestius dicam, eo die post exactum annum coronatus est, quo hoc illi ante annum fuerat ostensum. Diem autem Domini, etsi non annum in divinis litteris leginus, promissioni tamen futurorum, debitum illud tempus accipimus. Unde nihil interest, si sub diei significatione solus annus ostensus est; quia illudplenius debet esse, quod majus est. Quod vero nutu potius, et non sermone explanatum est, repraesentationi temporis servabatur sermonis expressio. Solet enim tunc verbis quodcunque proferri, quoties, quidquid profertur, impletur. Nam et vere nemo cognovit, quare hoc ei ostensum fuisset, nisi quia post eodem die, quo id viderat, coronatus est. Medio nihilominus tempore imminens passio pro certo ab omnibus sciebatur: passionis tamen dies certus ab eisdem omnibus quasi ignorantibus tacebatur. Sane et in Scripturis tale aliquid invenio. Nam Zacharias sacerdos promisso sibi per Angelum filio, quia non crediderat,

obmutuit; ita ut filii nomen, scripturus potius quam relaturus, nutu tabulas postularet. Merito et hic, ubi Dei nuncius passionem antistitis imminentem nutu potius expressit; et fidem admonuit, et sacerdotem munivit. Dilationis autem petendae ratio de ordinatione rerum, et de voluntatis dispositione veniebat. Quae vero res illi, aut quae voluntas ordinanda, nisi ecclesiastici status? Suprema idcirco accepta dilatio est, ut quidquid circa pauperum fovendorum curam supremo judicio disponendum fuerat, ordinaretur. Et puto propter nihil aliud, immo vero propter hoc tantum, etiam indulgentia ab ipsis, qui ejecerant et qui occisuri erant, admissa est; ut praesens et praesentes pauperes, novissimae dispensationis extremis, et ut plenius dixerim, totis sumptibus relevaret.

Ordinatis ergo tam pie rebus et sic pro voluntate dispositis, proximabat dies crastinus.

CAPUT XIV.

Imminente persecutione recusat fugere Cyprianus, suosque ad martyrium hortatur.

Jam de Xisto bono et pacifico sacerdote [1]), ac propterea beatissimo martyre, ab

[1]) Qui tunc Romanus fuit episcopus.

urbe nuntius venerat. Sperabatur jam jamque carnifex veniens, qui devota sanctissimae victimae colla percuteret: et sic erant omnes dies illi quotidiana expectatione moriendi, ut corona posset singulis adscribi. Conveniebant interim plures egregii et clarissimi ordinis et sanguinis, sed et saeculi nobilitate generosi, qui propter amicitiam ejus antiquam, secessum subinde suaderent; et ne parum esset nuda suadela, etiam loca, in quae secederet, offerebant. Ille vero jam mundum suspensa ad coelum mente neglexerat, nec suadelis blandientibus annuebat. Fecisset fortasse tunc etiam, quod a plurimis et fidelibus petebatur, si et divino imperio juberetur. Sed nec illa sublimis tanti viri gloria sine praeconio transeunda est; quia jam saeculo tumescente et de fiducia principum infestationem nominis anhelante, ille servos Dei, prout dabatur occasio, exhortationibus dominicis instruebat, et ad calcandas passiones hujus temporis, contemplatione superventurae claritatis animabat. Videlicet tanta illi fuit sacri cupido sermonis, ut optaret sic sibi passionis vota contingere, ut dum de Deo loquitur, in ipso sermonis opere necaretur.

CAPUT XV.

Capitur. Plebs ante fores noctem excubat.

Et hi erant quotidiani actus destinati ad placentem Deo hostiam sacerdotis; cum ecce Proconsulis jussu ad hortos ejus (ad hortos, inquam, quos inter initia fidei suae venditos, et Dei indulgentia restitutos, pro certo iterum in usus pauperum vendidisset, nisi invidiam de persecutione vitaret,) cum militibus suis princeps repente subitavit [1]); immo, ut verius dixerim, subitasse se credidit. Unde enim posset tanquam improviso impetu mens semper parata subitari? Processit ergo jam certus expungi [2]), quod diu fuerat retardatum; processit animo sublimi et erecto, hilaritatem praeferens vultu, et corde virtutem. Sed dilatus in crastinum ad domum principis a praetorio revertebatur; cum subito per Carthaginem totam sparsus rumor increbuit, productum esse jam Thascium [3]), quem prae-

---

[1]) Subitare significat re subitanea et improvisa percellere, hic improviso invadere.

[2]) Vox haec passim apud Tertullianum quoque occurrit et significat hic consummari, perfici scil. martyrio.

[3]) Id est Cyprianum, qui Thascius quoque vocabatur.

ter celebrem gloriosa opinione notitiam etiam de commemoratione praeclarissimi operis [1]) nemo non noverat. Concurrebant undique versus omnes ad spectaculum, nobis pro devotione fidei gloriosum, gentilibus et dolendum. Receptum eum tamen et in domo principis constitutum una nocte continuit custodia delicata [2]); ita ut convivae ejus et cari in contubernio ex more fuerimus. Plebs interim tota sollicita, ne per noctem aliquid sine conscientia sui fieret, ante fores principis excubabat. Concessit ei tunc divina bonitas vere digno, ut Dei populus etiam in sacerdotis passione vigilaret.

Forsitan tamen quaerat aliquis, quae causa fuerit a praetorio revertendi ad principem? Et volunt hoc scilicet quidam de suo, tunc proconsulem noluisse. Absit ut in rebus divinitus gestis segnitiem sive fastidium proconsulis conquerar. Absit ut malum hoc intra conscientiam religiosae mentis admittam; ut de tam beatissimo martyre ructus [3]) hominis judicaret. Sed crastinus dies ille, quem ante

---

[1]) Censet Ruinart auctorem hic respicere ad martyrum festa in quibus vigiliae agebantur.

[2]) Id est, sat benigna et minime dura.

[3]) Ructus proverbialiter heic positum est pro arbitrio seu libito.

annum dignatio divina praedixerat, vere crastinus esse debebat.

CAPUT XVI.

Postridie ad tribunal proconsulis ducitur.

Illuxit denique dies alius, ille signatus, ille promissus, ille divinus; quem si tyrannus ipse differre voluisset, nunquam prorsus valeret; dies de conscientia futuri martyris laetus; et discussis per totum mundi ambitum nubibus, claro sole radiatus. Egressus est domum principis, sed Christi et Dei princeps, et agminibus multitudinis mixtae ex omni parte vallatus est. Sic enim comitatui ejus infinitus exercitus adhaerebat, quasi ad expugnandam mortem manu facta veniretur. Eundi autem interfuit transitus stadii. Bene vero, et quasi de industria factum, ut et locum congruentis certaminis praeteriret, qui ad coronam justitiae consummato agone currebat. Sed ubi ad praetorium ventum est, nondum procedente proconsule, secretior locus datus est. Illic cum post iter longum nimio sudore madidatus sederet, (sedile autem erat fortuito linteo tectum [1]), ut et sub ictu

[1]) Linteo tectum. Lintei episcoporum sedes cooperiri solebant, ut ex Paciano patet qui ep. 2

passionis episcopatus honore frueretur), quidam ex tesserariis [1]) quondam christianus res suas obtulit; quasi vellet ille vestimentis suis humidis sicciora mutare: qui videlicet nihil aliud in rebus oblatis ambiebat, quam si proficiscentis ad Deum martyris sudores jam sanguineos possideret. Cui ille respondit, et dixit: medelas adhibemus querelis, quae hodie forsitan non erunt. Mirum, si contempsit laborem corpore, qui mortem mente contempserat? Quid plura? subito proconsuli nunciatus est; producitur, admovetur, interrogatur de suo nomine, se esse respondit; et hactenus verba.

CAPUT XVII.

Lata sententia.

Legit itaque de tabula jam sententiam judex, quam nuper in visione non legerat: sententiam spiritalem non temere dicendam; sententiam episcopo tali, et tali teste condignam; sententiam gloriosam; in qua dictus

---

ad Sympron. Novatiano exprobrat quod *consecrante nullo* linteatam sedem acceperit. Ruinart.

[1]) Tesserarii illi dicuntur qui tesseras per militum contubernia nuntiant vel ab excubitoribus exigunt. Ruinart.

est sectae signifer, et inimicus deorum, et qui suis futurus esset ipse documento, et quod sanguine ejus inciperet disciplina sanciri. Nihil hac sententia plenius, nihil verius; omnia quippe, quae dicta sunt, licet a gentili dicta, divina sunt. Nec mirum utique, cum soleant de passione pontifices prophetare (Joan. 11, 59). Signifer fuerat, qui de ferendo signo Christi docebat: inimicus deorum, qui idola destruenda mandabat: documento autem suis fuit, qui multis pari genere secuturis, prior in provincia martyrii primitias dedicavit. Sanciri etiam coepit ejus sanguine disciplina, sed martyrum; qui doctorem suum imitatione gloriae consimilis aemulati, ipsi quoque disciplinam exempli sui proprio cruore sanxerunt.

CAPUT XVIII.

Capite plectitur.

Et cum exiret praetorii fores, ibat comes militum turba, et ne quid in passione deesset, centuriones et tribuni latus texerant. Ipse autem locus aequalis est, ubi pati contigit, ut arboribus ex omni parte densatis sublime spectaculum praebeat. Sed per enormitatem spatii longioris visu denegato per confusam ni-

mis turbam, personae faventes in ramos arborum repserant; ne vel hoc illi negaretur, ut ad Zacchei similitudinem de arboribus videretur.

Sed jam ligatis per manus suas oculis moram carnificis urgere tentabat, cujus munus est ferrum; et labente dextera gladium vix trementibus digitis circuibat, donec ad perpetrandam pretiosi viri mortem, clarificationis hora matura, centurionis manum concesso desuper vigore firmatam, permissis tandem viribus expediret. O beatum Ecclesiae populum! qui episcopo suo tali et oculis pariter et sensibus, et quod est amplius, publicata voce compassus est; et sicut ipso tractante semper audierat, Deo judice coronatus est. Quamvis enim non potuerit evenire, quod optabant vota communia, ut consortio paris gloriae simul plebs tota pateretur; quicunque sub Christi spectantis oculis, et sub auribus sacerdotis ex animo pati voluit, per idoneum voti sui testem legationis quodam modo litteras ad Deum misit.

CAPUT XIX.

Primus martyr episcoporum Carthaginensium.

Sic consummata passione perfectum est, ut Cyprianus, qui bonorum omnium fuerat

exemplum, etiam sacerdotales coronas in Africa primus imbueret: quia et talis esse post Apostolos prior coeperat. Ex quo enim Carthagini episcopatus ordo numeratur, nunquam aliquis, quamvis ex bonis, et sacerdotibus, ad passionem venisse memoratur. Licet semper Deo mancipata devotio dicatis hominibus pro martyrio deputetur, Cyprianus tamen etiam ad perfectam coronam Domino consummante profecit; ut in civitate ipsa in qua taliter vixerat, et in qua prior fecerat multa praeclara, prior etiam sacerdotii coelestis insignia glorioso cruore decoraret.

Quid hoc loco faciam? inter gaudium passionis, et remanendi dolorem, in partes divisus animus, et angustum nimis pectus affectus duplices onerant. Dolebo, quod non comes fuerim? sed illius victoria triumphanda est. De victoria triumphabo? sed doleo, quod comes non sim. Verum vobis tamen et simpliciter confitendum est, quod et vos scitis, in hac me fuisse sententia. Multum, ac nimis multum de gloria ejus exulto; plus tamen doleo, quod remansi.

ADMONITIO IN SUBSEQUENTIA OPUSCULA S. CYPRIANI.

Necessarium non erit pluribus praefari de vita, gestis meritisque beatissimi martyris Cypriani, quem S. Augustinus „doctorem egregium“ [1]) et „suavissimum“ [2]) appellat passimque in suis operibus [3]) magnis laudibus extollit. Ea enim omnibus sunt notissima atque partim ex praemissa narratione de ejus vita et passione constant. Id unum animadvertisse sufficiet, eum inter eloquentissimos Ecclesiae catholicae Doctores numeratum semper fuisse „erat enim, ut testatur Lactantius [4]), ingenio facili, copioso, suavi,

---

[1]) c. Jul. L. 2 n. 6.

[2]) de doctrina christ. L. 2 n. 61.

[3]) Ex. gr. c. duas ep. Pelag. L. 4 n. 21, 24, 26 s. Cf. etiam S. Hieron. ep. 58 n. 10; ep. 70 n. 3.

[4]) Institut. div. L. 5 c. 1. A confessoribus vero in sua ad ipsum epist. (inter Cypr. 78) voca-

et quae sermonis maxima est virtus, aperto, ut discernere non queas utrum ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit". Et licet in quaestione tum nondum satis ventilata de valore nimirum baptismi ab haereticis collati erraverit, in reliquis ejus opera a quovis errore sunt immunia, adeo ut S. Hieronymus testetur [1]): „sole clariora esse ejus opera" consiliumque dederit [2]) Laetae, ut ejus filia „Cypriani opuscula semper in manu teneat;" S. Gelasius vero cum numeroso Episcoporum concilio statuerit: „S. Cypriani opuscula in omnibus esse recipienda [3])." Ex his aureis plane opusculis duo modo selegimus, quorum alterum ethnicos, schismaticos alterum et haereticos impugnat. Primum inscribitur *Liber ad Demetrianum*, alterum de *catholicae Ecclesiae unitate*.

---

tur: „omnibus hominibus in tractatu major, in sermone facundior, in consilio sapientior, in patientia simplicior, in operibus largior, in abstinentia sanctior, in obsequio humilior et in actu bono innocentior."

[1]) de vir. illustr. c. 67.

[2]) ep. 107 n. 12.

[3]) In Decreto de libris recip. et non recip. a. 494.

LIBER AD DEMETRIANUM.

Argumentum. Contra Demetrianum, qui erat sophista gentilis et cum aliis ethnicis tot malorum, quibus tunc orbis romanus infestabatur, causam refundebat in christianos, Cyprianus demonstrat, calamitates istas non inde oriri, quod Deum christiani colant, sed quod eum gentiles non colant, imo ejus cultores omni cruciatuum genere injustissime torqueant aliisque plurimis et gravissimis sceleribus Deum atrocissime offendant; quamvis autem hae calamitates ipsos etiam christianos afficiant, eas tamen solis gentilibus nocere ostendit, non vero christianis, quos ad aeterna gaudia perducant; denique gentiles summo caritatis fervore hortatur ut Deum verum tandem aliquando agnoscant ac venerentur [1]).

---

[1]) Ita paucis argumentum et consilium hujus libelli exponit Fessler in Institut. Patrol. V. 1. § 91.

I. Silentio calumnias S. Cyprianus contempserat.

Oblatrantem te et adversus Deum, qui unus et verus est, ore sacrilego et verbis impiis obstrepentem frequenter, Demetriane, contempseram, verecundius ac melius existimans errantis imperitiam silentio spernere, quam loquendo dementis insaniam provocare. Nec hoc sine magisterii divini auctoritate faciebam, cum scriptum sit: *In aures imprudentis noli quidquam dicere; ne quando audierit, irrideat sensatos sermones tuos* (Proverb. 23, 9). Et iterum: *Noli respondere imprudenti ad imprudentiam ejus, ne similis fias illi* (Prov. 26, 4). Et sanctum quoque jubeamur intra conscientiam nostram tenere, nec inculcandum porcis, et canibus exponere, loquente Domino et dicente: *Ne dederitis sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne inculcent eas pedibus, et conversi elidant vos* (Matth. 7, 6). Nam cum ad me saepe studio magis contradicendi, quam voto discendi venires, et clamosis vocibus personans, malles tua impudenter ingerere, quam nostra patienter audire, ineptum videbatur congredi tecum,

quando facilius esset et levius, turbulenti maris concitos fluctus clamoribus retundere, quam tuam rabiem tractatibus coercere. Certe et labor irritus et nullus effectus, offerre lumen caeco, sermonem surdo, sapientiam bruto: cum nec sentire brutus possit, nec caecus lumen admittere, nec surdus audire.

II. Respondet ad has calumnias: ne crimina agnoscat.

Haec considerans saepe conticui, et impatientem patientia vici, cum nec docere indocilem possem, nec impium religione comprimere, nec furentem lenitate cohibere. Sed enim cum dicas plurimos conqueri, quod bella crebrius surgant, quod lues, quod fames saeviant, quodque imbres et pluvias serena longa suspendant, nobis imputari, tacere ultra non oportet: ne jam non verecundiae, sed diffidentiae esse incipiat, quod tacemus, et dum criminationes falsas contemnimus refutare, videamur crimen agnoscere. Respondeo igitur et tibi, Demetriane, pariter et caeteris quos tu forsitan concitasti, et adversum nos odiis tuis maledicis vocibus seminando, comites tibi plures radicis, atque originis tuae pullulatione fecisti: quos tamen sermonis

nostri admittere credo rationem. Nam qui ad malum motus est mendacio fallente, multo magis ad bonum movebitur veritate cogente.

III. Mundus jam senuit.

Dixisti per nos fieri, et quod nobis debeant imputari omnia ista, quibus nunc mundus quatitur et urgetur, quod dii vestri a nobis non colantur. Qua in parte, quia ignarus divinae cognitionis et veritatis alienus es, illud primo in loco scire debes, senuisse jam mundum, non illis viribus stare, quibus prius steterat, nec vigore et robore eo valere, quo antea praevalebat. Hoc etiam nobis tacentibus, et nulla de scripturis sanctis praedicationibusque divinis documenta promentibus, mundus ipse jam loquitur, et occasum sui rerum labentium probatione testatur. Non hieme nutriendis seminibus tanta imbrium copia est, non frugibus aestate torrendis solis tanta flagrantia est, nec sic vernante temperie sata laeta sunt, nec adeo arboreis foetibus autumna foecunda sunt. Minus de effossis et fatigatis montibus eruuntur marmorum crustae, minus argenti et auri opes suggerunt exhausta jam metalla, et pauperes venae breviantur in dies singulos,

et decrescunt, deficit in arvis agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, justitia in judicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. Putasne tu tantam posse substantiam rei senescentis exsistere, quantum prius potuit novella adhuc et vegeta juventa pollere? Minuatur necesse est, quidquid fine jam proximo in occidua et extrema devergit. Sic sol in occasu suo radios minus claro et igneo splendore jaculatur, sic declinante jam cursu exoletis cornibus luna tenuatur et arbor quae fuerat ante viridis et fertilis, arescentibus ramis fit postmodum sterili senectute deformis, et fons qui exundantibus prius venis largiter profluebat, senectute deficiens, vix modico sudore distillat. Haec sententia mundo data est, haec Dei lex est, ut omnia orta occidant, et aucta senescant, et infirmentur fortia, et magna minuantur, et cum infirmata et diminuta fuerint, finiantur.

IV. Ironiâ objecta eludit.

Christianis imputas, quod minuantur singula mundo senescente. Quid si et senes imputent christianis, quod minus valeant in senectute, quod non perinde ut prius vigeant

auditu aurium, cursu pedum, oculorum acie, virium robore, succo viscerum, mole membrorum, et cum olim ultra octingentos, et nongentos annos vita hominum longaeva procederet, vix nunc possit ad centenarium numerum perveniri? Canos videmus in pueris, capilli deficiunt antequam crescant; nec aetas in senectute desinit, sed incipit a senectute. Sic in ortu adhuc suo ad finem nativitas properat, sic quodcumque nunc nascitur, mundi ipsius senectute degenerat: ut nemo mirari debeat singula in mundo coepisse deficere, quando totus ipse jam mundus in defectione sit et in fine.

V. Calamitatum publicarum causa Dei contemptio.

Quod autem crebrius bella continuant, quod sterilitas et fames solicitudinem cumulant, quod saevientibus morbis valetudo frangitur, quod humanum genus luis populatione vastatur: et hoc scias esse praedictum, in novissimis temporibus multiplicari mala, et adversa variari, et appropinquante jam judicii die magis ac magis in plagas generis humani censuram Dei indignantis accendi. Non enim, sicut tua falsa querimonia et im-

peritia veritatis ignara jactat et clamitat, ista accidunt quod dii vestri a nobis non colantur, sed quod a vobis non colatur Deus. Nam cum ipse sit mundi dominus et rector, et cuncta arbitrio ejus et nutu gerantur, nec quidquam fieri possit, nisi quod aut fecerit, aut fieri ipse permiserit, utique quando ea fiunt, quae iram Dei indignantis ostendunt, non propter nos fiunt, a quibus Deus colitur, sed delictis et meritis vestris irrogantur, a quibus Deus omnino nec quaeritur, nec timetur, nec relictis vanis superstitionibus religio vera cognoscitur; ut qui Deus unus est omnibus, unus colatur ab omnibus et rogetur.

VI. Monita et minae Dei in divinis litteris.

Ipsum denique audi loquentem, ipsum voce divina instruentem nos pariter ac monentem: *Dominum Deum tuum adorabis*, inquit, *et illi soli servies* (Deut. 6, 13). Et iterum: *Non erunt tibi dii alii absque me* (Ex. 20, 3). Et iterum: *Nolite ambulare post deos alienos ut serviatis eis, et ne adoraveritis eos; et ne incitetis me in operibus manuum vestrarum ad disperdendos vos* (Jer. 25, 6). Propheta item Spiritu

sancto plenus contestatur et denuntiat iram Dei, dicens: *Haec dicit Dominus omnipotens: Eo quod domus mea deserta est, vos autem sectamini unusquisque in domum suam, propterea abstinebit coelum a rore, et terra subtrahet procreationes suas, et inducam gladium super terram et super frumentum et super vinum et super oleum et super homines et super pecora et super omnes labores manuum eorum* (Agg. 1, 9 ss.). Item propheta alius repetit et dicit: *Et pluam super unam civitatem, et super aliam non pluam. Pars una compluetur, et pars super quam non pluero, arefiet. Et congregabuntur duae et tres civitates in unam civitatem potandae aquae causa, nec satiabuntur; et non convertimini ad me, dicit Dominus* (Am. 4, 7 s.).

VII. Calamitates poenae malorum.

Indignatur ecce Dominus et irascitur, et quod ad eum non convertamini comminatur; et tu miraris aut quereris in hac obstinatione et contemtu vestro, si rara desuper pluvia descendat, si terra situ pulveris squaleat, si vix jejunas et pallidas herbas sterilis gleba producat, si vineam debilitet grando caedens,

si oleam detruncet turbo subvertens, si fontem siccitas statuat, aerem pestilens aura corrumpat, hominem morbida valetudo consumat, cum omnia ista peccatis provocantibus veniant, et plus exacerbetur Deus, quando nihil talia et tanta proficiant! Fieri enim ista vel ad disciplinam contumacium, vel ad poenam malorum declarat in scripturis sanctis idem Deus dicens; *Sine causa percussi filios vestros, disciplinam non exceperunt* (Jer. 2, 30). Et propheta devotus ac dicatus Deo ad haec eadem respondet, et dicit: *Verberasti eos, nec doluerunt; flagellasti eos, nec valuerunt accipere disciplinam* (Ib. 5, 3). Ecce irrogantur divinitus plagae, et nullus Dei metus est. Ecce verbera desuper et flagella non desunt, et trepidatio nulla, nulla formido est. Quid si non intercederet rebus humanis vel ista censura, quanto adhuc major in hominibus esset audacia, facinorum impunitate secura?

VIII. Id illustratur exemplo.

Quereris quod minus nunc tibi uberes fontes et aurae salubres et frequens pluvia et fertilis terra obsequium praebeant, quod non ita utilitatibus tuis et voluptatibus ele-

menta deserviant. Tu enim Deo servis, per quem tibi cuncta deserviunt; famularis illi cujus nutu tibi universa famulantur. Ipse de servo tuo exigis servitutem, et homo hominem parere tibi et obedire compellis. Et cum sit vobis eadem sors nascendi, conditio una moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis, aequali jure et pari lege vel veniatur in istum mundum vel de mundo postmodum recedatur, tamen nisi tibi pro arbitrio tuo serviatur, nisi ad voluntatis obsequium pareatur, imperiosus et nimius servitutis exactor, flagellas, verberas, fame, siti, nuditate, ferro etiam frequenter et carcere affligis et crucias; et non agnoscis miser Dominum Deum tuum, cum sic exerceas ipse dominatum?

IX. Hominum in malo obstinatio.

Merito ergo incursantibus plagis non desunt Dei flagella nec verbera: quae cum nihil istic promoveant, nec ad Deum singulos tanto cladium terrore convertant, manet postmodum carcer aeternus et jugis flamma et poena perpetua; nec audietur illic rogantium gemitus, quia nec hic Dei indignantis terror auditus est, qui per Prophetam clamat et dicit: *Au-*

dite sermonem Domini, filii Israel, quia judicium est Domini adversus incolas terrae, eo quod neque misericordia, neque veritas, neque agnitio Dei sit super terram, sed execratio, et mendacium, et caedes, et furtum, et adulterium difusum est super terram, sanguinem sanguini supermiscent. Idcirco terra lugebit cum universis incolis suis, cum bestiis agri, cum serpentibus terrae, cum volucribus coeli, et deficient pisces maris, ut nemo judicet, nemo revincat (Os. 4, 1 ss). Indignari se Deus dicit et irasci quod agnitio Dei non sit in terris, et Deus non agnoscitur nec timetur. Delicta mendaciorum, libidinum, fraudium, crudelitatis, impietatis, furoris Deus increpat et incusat, et ad innocentiam nemo convertitur. Fiunt ecce quae verbis Dei ante praedicta sunt, nec quisquam fide praesentium ut in futurum consulat admonetur. Inter ipsa adversa, quibus vix coarctata et conclusa anima respirat, vacat malos esse, et in periculis tantis non de se magis sed de altero judicare. Indignamini indignari Deum, quasi aliquid boni malo vivendo mereamini, quasi non omnia ista quae accidunt minora adhuc sint et leviora peccatis vestris.

X. Exprobrat ethnicis eorum flagitia.

Qui alios judicas, aliquando et tu esto tui judex, conscientiae tuae latebras intuere, immo (quia nullus jam delinquendi metus vel pudor est, et sic peccatur quasi magis per ipsa peccata placeatur), qui perspicuus et nudus videris a cunctis et ipse te respice. Aut enim superbia inflatus es, aut avaritia rapax, aut iracundia saevus, aut alea prodigus, aut vinolentia temulentus, aut livore invidus, aut libidine incestus, aut crudelitate violentus; et miraris in poenas generis humani iram Dei crescere, cum crescat quotidie quod puniatur? Hostem quereris exurgere, quasi, etsi hostis desit, esse pax inter ipsas togas possit. Hostem quereris exurgere, quasi non, etsi externa de barbaris arma et pericula comprimantur, ferocius intus et gravius de calumniis et injuriis potentium civium domesticae impugnationis tela grassentur. De sterilitate et fame quereris, quasi famem majorem siccitas quam rapacitas faciat, quasi non de captatis annonarum incrementis et pretiorum cumulis flagrantior inopiae ardor excrescat. Quereris claudi imbribus coelum, cum sic horrea clau-

dantur in terris. Quereris nunc minus nasci, quasi quae nata sunt indigentibus praebeantur. Pestem et luem criminaris, cum peste ipsa et lue vel detecta sint vel aucta crimina singulorum, dum nec infirmis exhibetur misericordia, et defunctis avaritia inhiat ac rapina. Iidem ad pietatis obsequium timidi, ad inpia lucra temerarii, fugientes morientium funera, et appetentes spolia mortuorum, ut appareat in aegritudine sua miseros ad hoc forsitan derelictos esse, ne possint, dum curantur, evadere, nam perire aegrum voluit, qui censum pereuntis invadit.

XI. Prosequitur ethnicis exprobrare eorum crimina.

Tantus cladium terror dare non potest innocentiae disciplinam, et inter populum frequenti strage morientem nemo considerat se esse mortalem. Passim discurritur, rapitur, occupatur. Praedandi dissimulatio nulla, nulla cunctatio. Quasi liceat, quasi oporteat, quasi ille qui non rapit damnum et dispendium proprium sentiat, sic unusquisque rapere festinat. In latronibus est utcumque aliqua scelerum verecundia, avias fauces et desertas solitudines diligunt, et sic illic de-

linquitur, ut tamen delinquentium facinus tenebris et nocte veletur. Avaritia palam saevit, et ipsa audacia sua tuta in fori luce, abruptae cupiditatis arma prostituit. Inde falsarii, inde venefici, inde in media civitate sicarii, tam ad peccandum praecipites quam impune peccantes. A nocente crimen admittitur, nec innocens qui vindicet invenitur. De accusatore vel judice metus nullus. Impunitatem consequuntur mali, dum modesti tacent, timent conscii, veneunt judicaturi. Et idcirco per prophetam divino spiritu et instinctu rei veritas promitur, certa et manifesta ratione monstratur Deum posse adversa prohibere, sed ne ille subveniat merita peccantium facere: *Numquid, ait, non valet manus Domini ut salvos vos faciat, aut gravavit aurem ut non exaudiat? Sed peccata vestra inter vos et Deum separant, et propter delicta vestra avertit faciem suam a nobis, ne misereatur* (Is. 59, 1 s.). Peccata itaque et delicta reputentur, conscientiae vulnera cogitentur; et desinet unusquisque de Deo vel de nobis conqueri, si quod patitur intelligat se mereri.

XII. Christianorum persecutio quam injusta.

Ecce id ipsum quale est, unde nobis vobiscum maxime sermo est, quod nos infestatis innoxios, quod in contumeliam Dei impugnatis atque opprimitis Dei servos. Parum est quod furentium varietate vitiorum, quod iniquitate feralium criminum, quod cruentarum compendio rapinarum vita vestra maculatur, quod superstitionibus falsis religio vera subvertitur, quod Deus omnino nec quaeritur nec timetur; adhuc insuper Dei servos et majestati ac nomini ejus dicatos injustis persecutionibus fatigatis. Satis non est quod ipse tu Deum non colis; adhuc insuper eos qui colunt sacrilega infestatione persequeris. Deum nec colis, nec coli omnino permittis, et cum caeteri, qui non tantum ista inepta idola et manu hominis facta simulacra, sed et portenta quaedam et monstra venerantur, tibi placeant, solus tibi displicet Dei cultor. Fumant ubique in templis vestris hostiarum busta et rogi pecorum, et Dei altaria vel nulla sunt vel occulta. Crocodili et cynocephali et lapides et serpentes a vobis coluntur, et Deus solus in terris aut non colitur, aut non est

impune quod colitur. Innoxios, justos, Deo caros domo privas, patrimonio spolias, catenis premis, carcere includis, gladio, bestiis, ignibus punis. Nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio et simplici ac veloci brevitate poenarum. Admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia, nec feritas atque immanitas tua usitatis potest contenta esse tormentis; excogitat novas poenas ingeniosa crudelitas.

XIII. Persecutorum inconstantia.

Quae haec est insatiabilis carnificinae rabies, quae inexplebilis libido saevitiae? Quin potius elige tibi alterum de duobus. Christianum esse aut est crimen aut non est. Si crimen est, quid non interficis confitentem? Si crimen non est, quid persequeris innocentem? Torqueri enim debui, si negarem. Si poenam tuam metuens id quod prius fueram, et quod Deos tuos non colueram, mendacio fallente celarem, tunc torquendus fuissem, tunc ad confessionem criminis vi doloris adigendus, sicut in caeteris quaestionibus torquentur rei, qui se negant crimine quo accusantur teneri, ut facinoris veritas, quae indice

voce non promitur, dolore corporis exprimatur. Nunc vero cum sponte confitear et clamem et crebris ac repetitis identidem vocibus christianum me esse contester, quid tormenta admoves confitenti et deos tuos non in abditis et secretis locis, sed palam, sed publice, sed in foro ipso, magistratibus et praesidibus audientibus, destruenti; ut etsi parum fuerat quod in me prius criminabaris, creverit quod et odisse et punire plus debeas, quod dum me christianum celebri loco et populo circumstante pronuntio, et vos et deos vestros clara et publica praedicatione confundo.

XIV. Ratione non vi vincendum est.

Quid te ad infirmitatem corporis vertis, quid cum terrenae carnis imbecillitate contendis? Cum animi vigore congredere, virtutem mentis infringe, fidem destrue, disceptatione, si potes, vince, vince ratione. Vel si quid diis tuis numinis et potestatis est, ipsi in ultionem suam surgant, ipsi se sua majestate defendant. Aut quid praestare se colentibus possunt qui se de non colentibus vindicare non possunt. Nam si eo qui vindicatur pluris est ille qui vindicat, tu diis tuis major

es. Si autem iis quos colis major es, non tu illos colere, sed ab ipsis potius coli debes et timeri ut dominus. Sic illos laesos ultio vestra defendit, quomodo et clausos, ne pereant, tutela vestra custodit. Pudeat te eos colere, quos ipse defendis, pudeat tutelam de iis sperare, quos tu ipse tueris.

XV. Vel daemon testis est veritatis religionis christianae.

O si audire eos velles et videre quando a nobis adjurantur et torquentur spiritualibus flagris, et verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur, quando ejulantes et gementes voce humana, et potestate divina flagella et verbera sentientes, venturum judicium confitentur? Veni et cognosce vera esse quae dicimus. Et quia sic Deos colere te dicis, vel ipsis quos colis crede. Aut si volueris et tibi credere, de te ipso loquetur, audiente te, qui nunc tuum pectus obsedit, qui nunc mentem tuam ignorantiae nocte coecavit. Videbis nos rogari ab eis quos tu rogas, timeri ab eis quos tu times, quos tu adoras. Videbis sub manu nostra stare vinctos et tremere captivos, quos tu suspicis et veneraris ut dominos. Certe vel

sic confundi in istis erroribus tuis poteris, quando conspexeris et audieris deos tuos quid sint interrogatione nostra statim prodere et, praesentibus licet vobis, praestigias illas et fallacias suas non posse celare.

XVI. Ethnicorum caecitas.

Quae ergo mentis ignavia est, immo quae desipientium coeca et stulta dementia, ad lucem de tenebris nolle venire et mortis aeternae laqueis vinctos spem nolle immortalitatis excipere, non metuere Deum comminantem et dicentem: *Sacrificans Diis eradicabitur nisi Domino soli* (Ex. 22, 19). Et iterum: *Adoraverunt eos quos fecerunt digiti eorum, et incurvatus est homo, et humiliatus est vir, et non laxabo illis* (Is. 2, 8). Quid te ad falsos deos humilias et inclinas? Quid ante inepta simulacra et figmenta terrena captivum corpus incurvas? Rectum te Deus fecit; et cum caetera animalia prona et ad terram situ vergente depressa sint, tibi sublimis status et ad coelum atque ad Deum sursum vultus erectus est. Illuc intuere, illuc oculos tuos erige, in supernis Deum quaere. Ut carere inferis possis, ad alta et coelestia suspensum pectus attolle.

Quid te in lapsum mortis cum serpente quem colis sternis? Quid in ruinam diaboli per ipsum et cum ipso cadis? Sublimitatem serva, qua natus es. Persevera talis, qualis a Deo factus es. Cum statu oris et corporis animum tuum statue. Ut cognoscere Deum possis, te ante cognosce. Relinque idola, quae humanus error invenit. Ad Deum convertere, quem si imploraveris, subvenit. Christo crede, quem vivificandis ac reparandis nobis Pater misit. Laedere servos Dei et Christi persecutionibus tuis desine, quos laesos ultio divina defendit.

XVII. Christianorum patientia et Dei ultio.

Inde est quod nemo nostrum, quando apprehenditur, reluctatur, nec se adversus injustam violentiam vestram, quamvis nimius et copiosus noster sit populus, ulciscitur. Patientes facit de secutura ultione securitas. Innocentes nocentibus cedunt. Insontes poenis et cruciatibus acquiescunt, certi et fidentes, quod inultum non remaneat quodcumque perpetimur, quantoque major fuerit persecutionis injuria, tanto et justior fiat et gravior pro persecutione vindicta; nec unquam im-

piorum scelere in nostrum nomen exsurgitur, ut non statim divinitus vindicta comitetur. Ut memorias taceamus antiquas et ultiones pro cultoribus Dei saepe repetitas nullo vocis praeconio revolvamus, documentum recentis rei satis est, quod sic celeriter quodque in tanta celeritate sic granditer nuper secuta defensio est, ruinis rerum, jacturis opum, dispendio militum, diminutione castrorum. Nec hoc casu accidisse aliquis existimet aut fuisse fortuitum putet, cum jam pridem scriptura divina posuerit et dixerit: *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus* (Deut. 32, 35); et iterum Spiritus sanctus praemoneat et dicat: *Ne diveris, ulciscar me de inimico meo, sed exspecta Dominum, ut tibi auxilio sit* (Prov. 20, 22). Unde clarum est atque manifestum, quia non per nos sed pro nobis accidunt cuncta ista, quae de Dei indignatione descendunt.

XVIII. Christianorum in malis fiducia.

Nec ideo quis putet christianos iis quae accidunt non vindicari, quod et ipsi videantur accidentium incursione perstringi. Poenam de adversis mundi ille sentit, cui et laetitia

et gloria omnis in mundo est. Ille moeret et deflet, si sibi male sit in saeculo, cui bene non potest esse post saeculum, cujus vivendi fructus omnis hic capitur, cujus hic solatium omne finitur, cujus caduca et brevis vita hic aliquam dulcedinem computat et voluptatem, quando istinc excesserit, poena jam sola superest ad dolorem. Caeterum nullus iis dolor est de incursione malorum praesentium, quibus fiducia est futurorum bonorum. Denique nec consternimur adversis, nec frangimur, nec dolemus, neque in ulla aut rerum clade aut corporum valetudine mussitamus. Spiritu magis quam carne viventes, firmitate animi infirmitatem corporis vincimus. Per ipsa quae nos cruciant et fatigant probari et corroborari nos scimus et fidimus.

XIX. Diversa conditio christianorum et ethnicorum licet iisdem adversis sint obnoxii.

Putatis nos adversa vobiscum aequaliter perpeti, cum eadem adversa videatis a nobis et vobis non aequaliter sustineri? Apud vos impatientia clamosa semper et querula est; apud nos fortis et religiosa patientia quieta semper et semper in Deum grata est, nec

quidquam istic laetum aut prosperum sibi vindicat, sed mitis et lenis et contra omnes fluctuantis mundi turbines stabilis divinae pollicitationis tempus exspectat. Quamdiu enim corpus hoc permanet, commune cum caeteris sit necesse est et corporalis conditio communis; nec separari generi humano ad invicem datur, nisi si istinc de saeculo recedatur. Intra unam domum boni et mali interim continemur. Quidquid intra domum evenerit pari sorte perpetimur, donec aevi temporalis fine complete, ad aeternae vel mortis vel immortalitatis hospitia dividamur. Non ergo idcirco compares vobis et aequales sumus, quia in isto adhuc mundo et carne hac constituti, mundi et carnis incommoda vobiscum pariter incurrimus. Nam cum in sensu doloris sit omne quod punit, manifestum est eum non esse participem poenae tuae, quem tecum videns aequaliter non dolere.

XX. Christianorum laeta in adversis patientia.

Viget apud nos spei robur et firmitas fidei, inter ipsas saeculi labentis ruinas erecta mens est et immobilis virtus, et nunquam

non laeta patientia, et de Deo suo semper anima secura, sicut per prophetam Spiritus sanctus loquitur et hortatur spei ac fidei nostrae firmitatem coelesti voce corroborans. *Ficus*, inquit, *non afferet fructum, et non erunt nascentia in vineis. Mentietur opus olivae, et campi non praestabunt cibum. Deficient a pabulo oves, et non erunt in praesepibus boves. Ego autem in Domino exsultabo, et gaudebo in Deo salutari meo* (Hab. 3, 17 ss.) Dei hominem et cultorem Dei submixum spei veritate et fidei stabilitate fundatum negat mundi hujus et saeculi infestationibus commoveri. Vinea licet fallat, et olea decipiat, et herbis siccitate morientibus aestuans campus arescat, quid hoc ad christianos, quid ad Dei servos, quos paradisus invitat, quos gratia omnis et copia regni coelestis exspectat? Exsultant semper in Domino, et laetantur et gaudent in Deo suo, et mala atque adversa mundi fortiter tolerant, dum dona et prospera futura prospectant. Nam qui exposita nativitate terrena, spiritu recreati et renati sumus, nec jam mundo sed Deo vivimus, non nisi cum ad Deum venerimus Dei munera et promissa capiemus. Et tamen pro arcendis hostibus et imbribus impetrandis, et vel auferendis vel temperandis

adversis, rogamus semper et preces fundimus, et pro pace ac salute vestra propitiantes ac placantes Deum diebus ac noctibus jugiter atque instanter oramus.

XXI. Praedicta est divinitus injustis vindicta.

Nemo itaque sibi blandiatur, quod nobis et profanis Dei cultoribus et Deo adversantibus sit interim per aequalitatem carnis et corporis laborum saecularium conditio communis, ut ex hoc opinetur non omnia ista quae accidunt vobis irrogari, cum Dei ipsius praedicatione et prophetica contestatione ante praedictum sit, venturam super injustos iram Dei, et persecutiones quae nos humanitus laederent non defuturas, sed et ultiones quae laesos divinitus defenderent secutaras.

XXII. Iram Dei evadunt soli christiani.

Et quanta sunt, quae istic pro nobis interim fiunt? In exemplum aliquid datur, ut Dei vindicis ira noscatur. Caeterum retro est judicii dies, quem scriptura sancta denuntiat dicens: *Ululate, proximus est*

enim dies Domini, et obtritio a Deo aderit. Ecce enim dies Domini venit insanabilis indignationis et irae, ponere orbem terrae desertum, et peccatores perdere ex eo (Is. 13, 6). Et iterum: *Ecce dies Domini venit ardens velut clibanus, eruntque omnes alienigenae et omnes iniqui stipula; et succendet illos adveniens dies, dicit Dominus* (Mal. 4, 1). Succendi et cremari alienigenas praecinit Dominus, id est alienos a divino genere et profanos, spiritualiter non renatos nec Dei filios factos. Evadere enim eos solos posse qui renati et signo Christi signati fuerint alio in loco Deus loquitur, quando ad vastationem mundi et interitum generis humani angelos suos mittens gravius in ultimo comminatur dicens: *Vadite et caedite, et nolite parcere oculis vestris. Nolite misereri senioris aut juvenis, et virgines et parvulos et mulieres interficite, ut perdeleantur. Omnem autem super quem signum scriptum est ne tetigeritis* (Ez. 9, 5). Quod autem sit hoc signum, et qua in parte corporis positum, manifestat alio in loco Deus dicens: *Transi per mediam Hierusalem, et notabis signum super frontes virorum, qui ingemunt et moerent ob iniquitates quae fiunt in medio ipsorum* (ib.

4). Et quod ad passsionem et sanguinem Christi pertineat hoc signum, et ille salvus atque incolumis reservetur quisquis in hoc signo invenitur, item Dei testimonio comprobatur dicentis: *Et erit sanguis in signo vobis super domos in quibus vos eritis, et videbo sanguinem, et protegam vos, et non erit in vobis plaga diminutionis, cum percutiam terram Aegypti* (Ex. 12, 13). Quod ante occiso agno praecedit in imagine impletur in Christo, secuta postmodum veritate. Ut illic percussa Aegypto Judaicus populus evadere non nisi sanguine et signo agni potuit, ita et cum vastari coeperit mundus et percuti, quisquis in sanguine et signo Christi inventus fuerit, solus evadet.

XXIII. Hortatur Ethnicos ut Deum agnoscant.

Respicite itaque dum tempus est ad veram et aeternam salutem; et quia jam mundi finis in proximo est, ad Deum mentes vestras Dei timore convertite. Nec vos delectet in saeculo inter justos et mites impotens ista et vana dominatio, quando et in agro inter cultas et fertiles segetes lolium et avena

dominetur. Nec dicatis mala accidere quia dii vestri a nobis non colantur, sed sciatis hanc irae Dei esse censuram, ut qui beneficiis non intelligitur, vel plagis intelligatur. Deum vel sero quaerite, quia jam pridem per prophetam Deus praemonens hortatur et dicit: *Quaerite Deum, et vivet anima vestra* (Ps. 68, 33). Deum vel sero cognoscite, quia Christus adveniens hoc admonet et docet dicens: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum* (Joan. 17, 3). Credite illi, qui omnino non fallit. Credite illi, qui haec omnia futura praedixit. Credite illi, qui credentibus praemium vitae aeternae dabit. Credite illi, qui incredulis aeterna supplicia gehennae ardoribus irrogabit.

XXIV. Fidei gloria et poena perfidiae.

Quae tunc erit fidei gloria, quae poena perfidiae, cum judicii dies venerit, quae laetitia credentium, quae moestitia perfidorum, noluisse istic prius credere, et ut credant jam redire non posse? Cremabit addictos ardens semper gehenna, et vivacibus flammis vorax poena; nec erit unde habere tormenta

vel requiem possint aliquando vel finem. Servabuntur cum corporibus suis animae infinitis cruciatibus ad dolorem. Spectabitur illic a nobis semper qui hic nos spectavit ad tempus, et in persecutionibus factis oculorum crudelium brevis fructus perpetua visione pensabitur, secundum scripturae sanctae fidem dicentis: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur; et erunt ad visionem universae carni* (Is. 66, 24). Et iterum: *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt et qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis, dicentes inter se, poenitentiam habentes et prae angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati viam illorum aestimabamus insaniam et finem illorum sine honore. Quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors eorum est? Ergo erravimus a via veritatis, et justitiae lumen non luxit nobis, et sol non ortus est nobis. Lassati sumus in iniquitatis via et perditionis, ambulavimus solitudines difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis pro-*

fuit superbia, aut quid divitiarum jactatio contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra (Sap. 5, 1 ss.). Erit tunc sine fructu poenitentiae dolor poenae, inanis ploratio, et inefficax deprecatio. In aeternam poenam sero credent qui in vitam aeternam credere noluerunt.

XXV. Hortatur idolorum cultores ut sibi prospiciant, dum tempus est.

Securitati igitur et vitae, dum licet, providete. Offerimus vobis animi et consilii nostri salutare munus. Et quia odisse non licet nobis, et sic Deo plus placemus dum nullam pro injuria vicem reddimus, hortamur dum facultas adest, dum adhuc aliquid de saeculo superest, Deo satisfacere et ad verae religionis candidam lucem de profundo tenebrosae superstitionis emergere. Non invidemus commodis vestris, nec beneficia divina celamus. Odiis vestris benevolentiam reddimus, et pro tormentis ac suppliciis quae nobis inferuntur salutis itinera monstramus. Credite et vivite; et qui nos ad tempus persequimini, in aeternum gaudete nobiscum. Quando istinc excessum fuerit, nullus jam

poenitentiae locus est, nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur aut tenetur. Hic saluti aeternae cultu Dei et fructu fidei providetur. Nec quisquam aut peccatis retardetur aut annis, quo minus veniat ad consequendam salutem. In isto adhuc mundo manenti poenitentia nulla sera est. Patet ad indulgentiam Dei aditus, et quaerentibus atque intelligentibus veritatem facilis accessus est. Tu sub ipso licet exitu et vitae temporalis occasu pro delictis roges et Deum, qui unus et verus est, confessione et fide agnitionis ejus implores, venia confitenti datur, et credenti indulgentia salutaris de divina pietate conceditur, et ad immortalitatem sub ipsa morte transitur. Hanc gratiam Christus impertit, hoc munus misericordiae suae tribuit subigendo mortem trophaeo crucis, redimendo credentem pretio sanguinis sui, reconciliando hominem Deo Patri, vivificando mortalem regeneratione coelesti. Hunc, si fieri potest, sequamur omnes, hujus sacramento et signo censeamur. Hic nobis viam vitae aperit, hic ad paradisum reduces facit, hic ad coelorum regna perducit. Cum ipso semper vivemus, facti per ipsum filii Dei. Cum ipso semper exsultabimus, ipsius cruore reparati. Erimus christiani cum Christo si-

mul gloriosi, de Deo Patre beati, de perpetua voluptate laetantes semper in conspectu Dei, et agentes Deo gratias semper. Neque enim poterit nisi laetus esse semper et gratus qui, cum morti fuisset obnoxius, factus est immortalitate securus.

LIBER DE CATHOLICAE ECCLESIAE UNITATE.

Argumentum. Liber de unitate Ecclesiae scriptus est cum Novatiani studiis in Ecclesia Romana schisma obortum esset et pars Confessorum eidem adhaereret; idcirco directus est hic liber ad Confessores Romanos, ut a schismate et haeresi eos dehortaretur atque in unitate Ecclesiae conservaret. Itaque liber iste exhortatio est, ut fideles, maxime vero confessores, unam solam Ecclesiam, extra quam nulla salus datur, quam Christus Dominus supra Petrum fundavit, quam unam fore nec plures jam in V. T. Spiritus S. praedixit, cujus unitatem Christus et Apostoli significarunt, variique typi V. et N. T. praefigurarunt, non deserant, ac ut schismata auctore diabolo, qui perniciem humani generis semper molitur, exorta atque extremis poenis digna fugiant. Porro schismatico-

rum falsas ratiocinationes, quibus separationem suam tueri conabantur, destruit, sive petitae fuerint a martyrio per gregales suos aliquando fortiter tolerato, sive a multitudine eorum, qui coetus schismaticos constituebant, sive a qualitate eorum, qui schismati addicti erant scil. Confessorum. Denique hortatur schismati addictos ut ad unam veram redeant Ecclesiam, fideles autem sedulo monet, ut hanc unitatem conservent bonis operibus vocatione sua dignis[1]).

I. Subdoli hostis insidiae sunt cavendae.

Cum moneat Dominus et dicat: *Vos estis sal terrae* (Matth. 5, 13), cumque esse nos jubeat ad innocentiam simplices, et tamen cum simplicitate prudentes, quid aliud,

[1]) Ita Fessler Institut. Patrol. V. 1, § 92. Liber hic allegatur a S. Fulgentio de remiss. peccat. L. 1, c. 21 sub titulo: *De simplicitate Praelatorum.* Krabinger in sua edit. (Tubingae 1853) praefert titulum quem praefiximus alteri communiter recepto *de unitate Ecclesiae*, praesertim ob auctoritatem ipsius S. Cypr. ep. 51, in qua hunc l. respicit: „Sed et *catholicae Ecclesiae unitatem* quantum potuit, expressit nostra mediocritas."

fratres dilectissimi, quam providere nos convenit et sollicito corde vigilantes subdoli hostis insidias intelligere pariter et cavere, ne qui Christum sapientiam Dei Patris induimus, minus sapere in tuenda salute videamur? Neque enim persecutio sola metuenda est et ea quae subruendis ac dejiciendis Dei servis aperta impugnatione grassantur. Facilior cautio est ubi manifesta formido est, et ad certamen animus ante praestruitur, quando se adversarius confitetur. Plus metuendus est et cavendus inimicus, cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens occultis accessibus serpit, unde et nomen serpentis accepit. Ea est ejus semper astutia, ea est circumveniendi hominis coeca et latebrosa fallacia. Sic ab initio statim mundi fefellit et verbis mendacibus blandiens rudes animas incauta credulitate decepit; sic Dominum ipsum tentare conatus, quasi obreperet rursus et falleret, latenter accessit; intellectus tamen est et retusus et ideo prostratus, quia agnitus atque detectus.

II. Christi mandata servanda sunt.

Unde nobis exemplum datum est veteris hominis viam fugere, vestigiis Christi viven-

tis insistere, ne denuo incauti in mortis laqueum revolvamur, sed ad periculum providi accepta immortalitate potiamur. Immortalitate autem potiri quomodo possumus, nisi ea quibus mors expugnatur et vincitur Christi mandata servemus, ipso monente et dicente: *Si vis ad vitam venire, serva mandata* (Matth. 19, 17). Et iterum: *Si feceritis quae mando vobis, jam non dico vos servos, sed amicos* (Joh. 15, 14). Hos denique fortes dicit et stabiles, hos super petram robusta mole fundatos, hos contra omnes tempestates et turbines saeculi immobili et inconcussa firmitate solidatos. *Qui audit*, inquit, *verba mea et facit ea, similabo eum viro sapienti qui aedificavit domum suam supra petram. Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in domum illam, et non cecidit. Fundata enim fuit super petram* (Matth. 7, 24 s.) Verbis igitur ejus insistere, quaecumque et docuit et fecit discere et facere debemus. Caeterum credere se in Christum quomodo dicit qui non facit quod Christus facere praecepit? Aut unde perveniet ad praemium fidei qui fidem non vult servare mandati? Nutet necesse est et vagetur et spiritu erroris abreptus velut pulvis quem ventus excutit ventiletur; nec ambulando pro-

ficiet ad salutem qui salutaris viae non tenet veritatem.

III. Maxime cavenda sunt schismata haeresesque.

Cavenda sunt autem, fratres dilectissimi, non solum quae sunt aperta atque manifesta, sed et astutae fraudis subtilitate fallentia. Quid vero astutius, quidve subtilius quam ut Christi adventu detectus ac prostratus inimicus, postquam lux gentibus venit et sospitandis hominibus salutare lumen effulsit, ut surdi auditum gratiae spiritualis admitterent, aperirent ad Deum oculos suos coeci, infirmi aeterna sanitate revalescerent, claudi ad ecclesiam currerent, muti claris vocibus et precibus orarent, videns ille idola derelicta et per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitaverit novam fraudem, ut sub ipso christiani nominis titulo fallat incautos? Haereses invenit et schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem. Quos detinere non potest in viae veteris coecitate circumscribit et decipit novi itineris errore. Rapit de ipsa ecclesia homines; et dum sibi appropinquasse jam lumini atque evasisse saeculi noctem vi-

dentur, alias nescientibus tenebras rursus infundit, ut cum evangelio Christi et cum observatione ejus et lege non stantes christianos se vocent, et ambulantes in tenebris habere se lumen existiment, blandiente adversario atque fallente, qui secundum apostoli vocem transfigurat se velut angelum lucis et ministros suos subornat velut ministros justitiae, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub praetextu fidei, antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur [1]), nec magistri coelestis doctrina servatur.

IV. Unitas Ecclesiae.

Quae si quis consideret et examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio ve-

---

[1]) Mallet non immerito Baluzius lectionem *unitatis* quam *veritatis*, ut scriptum est paulo post *unitatis ejusdem originem*, ac statim unitatem vehementer urget. *Caput* idem ac principium, fons.

ritatis. Loquitur Dominus ad Petrum [1]): *Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, et*

---

[1]) Locus celebris ob controversias ejus occasione agitatas. Sunt enim qui contendunt eum esse interpolatum cum ex marginalibus summulis paullatim plura in contextum irrepserint, cujusmodi sunt: *unam cathedram constituit — et primatus Petro datur ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes et grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur, ut Ecclesia Christi una monstretur — qui cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit in Ecclesia se esse confidit?* quare haec in pluribus editionibus omittuntur ut etiam in recenti editione critica il. Krabinger Tubingae 1853. Nolumus hanc controversiam criticam dirimere; sufficit nobis cum Marano (in praef. ad op. S. Cypr. § 3) animadvertere „si ea retineantur quae Oxoniensis editor et Baluzius expunxerunt, nihil affuturum quod non cum Cypriani doctrina optime quadret. Sin autem recidantur, reliquas testimonii hujus partes satis per se habituras momenti ad primatum Ecclesiae romanae. Hospes sane et peregrinus sit in Cypriani doctrina, si quis miretur Petro primatum ab eo attribui, et unum gregem et unam cathedram adstrui, cum tot locis eundem primatum defendat, ac unum gregem, unum episcopatum et, nominatim in ep. 40. unam cathedram commendet. Non magis mirandum quod in Ecclesia non esse pronuntiet nefarios illos schismaticos, qui hoc uno episcopatu conculcato, hae una cathedra, quae super Petrum fundata est, deserta, humanam prorsus ecclesiam instituere tenta-

super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni coelorum, et quae ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis; et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in coelis (Matth. 16, 18 s.). Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: *Pasce oves meas* (Joan. 21, 15). Super illum unum aedificat ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat, *sicut misit me Pater, et ego mitto vos: accipite Spiritum sanctum, si cujus remiseritis peccata, remittentur illi, si cujus tenueritis, tenebuntur* (Joan. 20, 21 ss.), tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem

---

bant. Non erat ergo cur Cypriani testimonium ab his verbis editor Oxoniensis (Fellus) velut a quodam, ut ipse appellat, veneno purgasse sibi videretur". Nec primatui S. Petri obsunt illa verba: „hoc erant utique et caeteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis" quam enim hisce aequalitatem Apostolis vindicat Cyprianus, tum in antecedentibus tum in consequentibus circumscribit limitibus, cum nec super *omnes* sed super *unum* aedificata sit Ecclesia, nec unitatis origo *ab omnibus* sed *ab uno* Christo auctore incipiat. Cf. Maranum l. c.

ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et caeteri apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi ecclesia et cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes, et grex unus ostenditur, qui ab apostolis omnibus unanimi consensione pascatur, ut ecclesia Christi una monstretur. Quam unam ecclesiam etiam in cantico canticorum Spiritus sanctus ex persona Domini designat et dicit: *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suae, electa genitrici suae* (Cant. 6, 9). Hanc ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui ecclesiae renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quem fundata est ecclesia, deserit, in ecclesia se esse confidit? quando et beatus apostolus Paulus hoc idem doceat et sacramentum unitatis ostendat dicens: *Unum corpus et unus spiritus, una spes vocationis vestrae, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus* (Eph. 4, 4 ss.).

V. Episcopatus in Ecclesia unitas.

Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime episcopi, qui in ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida praevaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit; a fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit; unum

tamen caput est et origo una, et una mater foecunditatis successibus copiosa. Illius foetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur.

VI. Non perveniet ad Christi praemia, qui relinquit Ecclesiam Christi.

Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est et pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Haec nos Deo servat, haec filios regno quos generavit assignat. Quisquis ab ecclesia segregatus adulterae jungitur, a promissis ecclesiae separatur; nec perveniet ad Christi praemia, qui relinquit ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam qui extra arcam Noe fuit, et qui extra ecclesiam foris fuerit evadit. Monet Dominus et dicit: *Qui non est mecum, adversus me est; et qui non mecum colligit, spargit* (Matth. 12, 30). Qui pacem Christi et concordiam rumpit adversus Christum facit. Qui alibi praeter ecclesiam colligit Christi ecclesiam spargit. Dicit Dominus: *Ego et Pater unum sumus* (Joan. 10,

30). Et iterum de Patre et Filio et Spiritu sancto scriptum est: *Et hi tres unum sunt* (1. Joan. 5, 7). Et quisquam credit hanc unitatem de divina firmitate venientem, sacramentis coelestibus cohaerentem, scindi in ecclesia posse et voluntatum collidentium divortio separari? Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem.

VII. Tunica indivisa Christi praefigurabatur unitas Ecclesiae.

Hoc unitatis sacramentum, hoc vinculum concordiae inseparabiliter cohaerentis ostenditur quando in evangelio tunica Domini Jesu Christi non dividitur omnino nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi quis Christum indueret, integra vestis accipitur et incorrupta atque indivisa tunica possidetur. Loquitur ac dicit Scriptura divina: *De tunica autem, quia de superiore parte non consutilis, sed per totum textilis fuerat, dixerunt ad invicem: Non scindamus illam, sed sortiamur de ea cujus sit* (Joan. 19, 23 s.). Unitatem illa portabat de superiore parte venientem, id est de coelo et a Patre venientem, quae

ab accipiente ac possidente scindi omnino non poterat, sed totam simul et solidam firmitatem inseparabiliter obtinebat. Possidere non potest indumentum Christi qui scindit et dividit ecclesiam Christi. Contra denique cum, Salomone moriente, regnum ejus et populus scinderetur, Achias propheta Jeroboam regi obvius factus in campo, in duodecim scissuras vestimentum suum discidit dicens: *Sume tibi decem scissuras, quia haec dicit Dominus: Ecce scindo regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem sceptra, et duo sceptra erunt ei propter servum meum David et propter Hierusalem civitatem quam elegi, ut ponam nomen meum illic* (3. Reg. 11, 31 ss.). Cum duodecim tribus Israel scinderentur, vestimentum suum propheta Achias discidit. At vero quia Christi populus non potest scindi, tunica ejus per totum textilis et cohaerens divisa a possidentibus non est. Individua, copulata, connexa ostendit populi nostri, qui Christum induimus, concordiam cohaerentem. Sacramento vestis et signo declaravit ecclesiae unitatem.

VIII. Verbis et typis inculcatur unitas Ecclesiae in divinis libris.

Quis ergo sic est sceleratus et perfidus, quis sic discordiae furore vesanus, ut aut credat scindi posse aut audeat scindere unitatem Dei, vestem Domini, ecclesiam Christi? Monet ipse in evangelio suo et docet dicens: *Et erit unus grex et unus pastor* (Joan. 10, 16). Et esse posse uno in loco aliquis existimat aut multos pastores aut plures greges? Apostolus item Paulus hanc eamdem nobis insinuans unitatem obsecrat et hortatur dicens: *Obsecro*, inquit, *vos fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Sitis autem compositi in eodem sensu et in eadem sententia* (1. Cor. 1, 10). Et iterum dicit: *Sustinentes invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem spiritu sin conjunctione pacis* (Eph. 4, 2 s.). Stare tu et vivere putas posse de ecclesia recedentem, sedes sibi alias et diversa domicilia condentem, cum dictum sit ad Rahab, in qua praeformabatur ecclesia: *Patrem tuum et matrem tuam et fratres tuos et totam domum patris tui colliges ad te ip-*

sam in domum tuam, et omnis qui exierit ostium domus tuae foras reus sibi erit (Jos. 2, 18 s.). Item sacramentum Paschae nihil aliud in Exodi lege contineat quam ut agnus, qui in figura Christi occiditur, in domo una edatur. Loquitur Deus dicens: *In domo una comedetur, non ejicietis de domo carnem foras* (Ex. 12, 46). Caro Christi et sanctum Domini ejici foras non potest, nec alia ulla credentibus praeter unam ecclesiam domus est. Hanc domum, hoc unanimitatis hospitium designat et denuntiat Spiritus sanctus in Psalmis dicens: *Deus qui inhabitare facit unanimes in domo* (Ps. 67, 7). In domo Dei, in ecclesia Christi, unanimes habitant, concordes et simplices perseverant.

IX. In Ecclesia unanimes, concordes et simplices perseverant.

Idcirco et in columba venit Spiritus sanctus, simplex animal et laetum, non felle amarum, non morsibus saevum, non unguium laceratione violentum, hospitia humana diligere, unius domus consortium nosse, cum generant, simul filios edere, cum commeant, volatibus invicem cohaerere, communi con-

versatione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia unanimitatis implere. Haec est in ecclesia noscenda simplicitas, haec caritas obtinenda, ut columbas dilectio fraternitatis imitetur, ut mansuetudo et lenitas agnis et ovibus aequetur. Quid facit in pectore christiano luporum feritas, et canum rabies, et venenum lethale serpentum, et cruenta saevitia bestiarum? Gratulandum est cum tales de ecclesia separantur, ne columbas, ne oves Christi saeva sua et venenata contagione praedentur. Cohaerere et conjungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum foecunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Nemo existimet bonos de ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit. Inanes paleae tempestate jactantur, invalidae arbores turbinis incursione evertuntur. Hos exsecratur et percutit Joannes apostolus, dicens: *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum* (1. Joan. 2, 19).

X. Haeresis origo scissionis.

Hinc haereses et factae sunt frequenter et fiunt, dum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem. Fieri vero haec Dominus permittit et patitur, manente propriae libertatis arbitrio; ut dum corda nostra et mentes nostras veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra manifesta luce clarescat. Per apostolum praemonet Spiritus sanctus et dicit: *Oportet haereses esse, ut probati manifesti sint in vobis* (1. Cor. 11, 19). Sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur. Sic et ante judicii diem hic quoque jam justorum atque injustorum animae dividuntur, et a frumento paleae separantur. Hi sunt qui se ultro apud temerarios convenas sine divina dispositione praeficiunt, qui se praepositos sine ulla ordinationis lege constituunt, qui nemine episcopatum dante, episcopi sibi nomen assumunt; quos designat in psalmis Spiritus sanctus sedentes in pestilentiae cathedra, pestes et lues fidei, serpentis ore fallentes, et corrumpendae veritatis artifices, venena lethalia linguis pestiferis evomentes: quorum sermo ut cancer serpit, quorum tractatus pectoribus

et cordibus singulorum mortale virus infundit. . . . . .

XI. Scissionis auctores cavendi sunt.

Contra ejusmodi clamat Dominus, ab his refraenat et revocat errantem plebem suam dicens: *Nolite audire sermones pseudoprophetarum, quoniam visiones cordis eorum frustrantur eos. Loquuntur, sed non ab ore Domini. Dicunt eis qui abjiciunt verbum Dei: Pax erit vobis et omnibus ambulantibus in voluntatibus suis. Omnis qui ambulat in errore cordis sui, non venient super eum mala. Non locutus sum ad eos, et ipsi prophetaverunt. Si stetissent in substantia mea, et audissent verba mea, et si docuissent populum meum, convertissem eos a malis cogitationibus eorum* (Jer. 23, 16 ss.). Hos eosdem denuo Dominus designat et denotat dicens: *Me dereliquerunt fontem aquae vivae, et effoderunt sibi lacus detritos, qui non possunt aquam portare* (Jer. 2, 13). Quando aliud baptisma praeter unum esse non possit, baptizare se posse opinantur. Vitae fonte deserto, vitalis et salutaris aquae gratiam pollicentur. Non abluuntur illic homines, sed potius sordidantur;

nec purgantur delicta, sed imo cumulantur. Non Deo nativitas illa sed diabolo filios generat. Per mendacium nati veritatis promissa non capiunt; de perfidia procreati, fidei gratiam perdunt. Ad pacis praemium venire non possunt, qui pacem Domini discordiae furore ruperunt.

XII. Dominus cum pacificis est.

Nec se quidam vana interpretatione decipiant quod dixerit Dominus: *Ubicumque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum* (Matth. 18, 19 s.). Corruptores evangelii atque interpretes falsi extrema ponunt et superiora praetereunt, partis memores, et partem subdole comprimentes. Ut ipsi ab ecclesia scissi sunt, ita capituli unius sententiam scindunt. Dominus enim cum discipulis suis unanimitatem suaderet et pacem: *Dico*, inquit, *vobis, quoniam si duobus ex vobis convenerit in terra, de omni re quamcumque petieritis continget vobis a patre meo, qui in coelis est. Ubicumque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum*, ostendens non multitudini, sed unanimitati deprecantium plurimum tribui. *Si duobus*, inquit, *ex vobis con-*

venerit in terra, unanimitatem prius posuit, concordiam pacis ante praemisit, ut conveniat nobis fideliter et firmiter docuit. Quomodo autem potest ei cum aliquo convenire, cui cum corpore ipsius ecclesiae et cum universa fraternitate non convenit? Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat a Christo et ab ejus evangelio separari? Non enim nos ab illis, sed illi a nobis recesserunt. Et cum haereses et schismata postmodum nata sint, dum conventicula sibi diversa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt. Dominus autem de ecclesia sua loquitur, et ad hos qui sunt in ecclesia loquitur, ut si ipsi concordes fuerint, si secundum quod mandavit et monuit, duo aut tres licet, collecti unanimiter oraverint, duo aut tres licet sint, impetrare possint de Dei majestate quod postulant. *Ubicumque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego*, inquit, *cum eis sum*, cum simplicibus scilicet atque pacatis, cum Deum timentibus et Dei praecepta servantibus. Cum his duobus vel tribus licet esse se dixit, quomodo et cum tribus pueris in camino ignis fuit, et quia in Deum simplices atque inter se unanimes permanebant, flammis ambientibus medios spiritu roris animavit. Quo-

modo apostolis duobis in custodia clausis, quia simplices, quia unanimes erant, ipse adfuit, ipse resolutis carceris claustris, ut verbum quod fideliter praedicabant multitudini traderent, ad forum rursus imposuit. Quando ergo in praeceptis suis ponit et dicit: *Ubi fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum*, non homines ab ecclesia dividit qui instituit et fecit ecclesiam, sed exprobrans discordiam perfidis, et fidelibus pacem sua voce commendans, ostendit magis esse se cum duobus aut tribus unanimiter orantibus quam cum dissidentibus plurimis, plusque impetrari posse paucorum concordi prece quam discordiosa oratione multorum.

XIII. Pacatum Deum habere non potest, qui cum fratre pacem non habet.

Ideo et cum orandi legem daret, addidit dicens: *Et cum steteritis ad orationem, remittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester qui in coelis est remittat vobis peccata* (Marc. 11, 25). Et ad sacrificium cum dissensione venientem revocat ab altari, et jubet prius concordare cum fratre, tunc cum pace redeuntem Deo munus offerre,

quia nec ad Cain munera respexit Deus. Neque enim pacatum habere Deum poterat, qui cum fratre pacem per zeli discordiam non habebat. Quam sibi igitur pacem promittunt inimici fratrum, quae sacrificia celebrare se credunt aemuli sacerdotum? An secum esse Christum cum collecti fuerint opinantur, qui extra Christi ecclesiam colliguntur?

XIV. Schismatis crimen nec sanguine abluitur.

Tales etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis et gravis culpa discordiae nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in ecclesia non est. Ad regnum pervenire non poterit, qui eam quae regnatura est derelinquit. Pacem nobis Christus dedit, concordes atque unanimes esse praecepit, dilectionis et caritatis foedera incorrupta atque inviolata servari mandavit. Exhibere se non potest martyrem, qui fraternam non tenuit caritatem. Docet hoc et contestatur Paulus apostolus dicens: *Et si habuero fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Et si in cibos pauperum distribuero omnia mea et si tradi-*

dero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil proficio. Caritas magnanima est, caritas benigna est, caritas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum, omnia diligit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Caritas nunquam excidit (1. Cor. 13, 2 ss.). Nunquam, inquit, excidit caritas. Haec enim semper in regno erit, haec in aeternum fraternitatis sibi cohaerentis unitate durabit. Ad regnum coelorum non potest pervenire discordia. Ad praemia Christi, qui dixit, *Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem, quemadmodum dilexi vos* (Joan. 15, 12), pertinere non poterit, qui dilectionem Christi perfida dissensione violavit. Qui caritatem non habet, Deum non habet. Joannis beati apostoli vox est: *Deus*, inquit, *dilectio est, et qui manet in dilectione, in Deo manet, et Deus in illo manet* (1. Joan. 4, 16). Cum Deo manere non possunt, qui esse in ecclesia Dei unanimes noluerunt. Ardeant licet flammis et ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed poena perfidiae, nec religiosae virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest. Sic se christianum esse

profitetur quomodo et Christum diabolus saepe mentitur, ipso Domino praemonente et dicente: *Multi venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, et multos fallent* (Marc 13, 6). Sicut ille Christus non est, quamvis fallat in nomine, ita nec christianus videri potest, qui non permanet in evangelii ejus et fidei veritate.

XV. Praeceptis et monitis divinis obtemperandum est.

Nam et prophetare et daemonia excludere et virtutes magnas in terris facere sublimis utique et admirabilis res est, non tamen regnum coeleste consequitur quisquis in his omnibus invenitur, nisi recti et justi itineris observatione gradiatur. Denuntiat Dominus et dicit: *Multi mihi dicent in illo die: Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus, et in tuo nomine daemonia exclusimus, et in nomine tuo virtutes magnas fecimus? Et tunc dicam illis: Nunquam vos cognovi, recedite a me qui operamini iniquitatem* (Matth. 7, 22 s.). Justitia opus est, ut promereri quis possit Deum judicem. Praeceptis ejus et monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra

mercedem. Dominus in evangelio suo, cum spei et fidei nostrae viam compendio breviante dirigeret: *Dominus Deus tuus*, inquit, *Deus unus est; et: Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, et de tota anima tua, et de tota virtuta tua. Hoc est primum mandatum; et secundum simile huic: Diliges proximum tuum tanquam te. In his duobus praeceptis tota Lex pendet et Prophetae* (Marc. 12, 29 ss.). Unitatem simul et dilectionem magisterio suo docuit, Prophetas omnes et Legem praeceptis duobus inclusit. Quam vero unitatem servat, quam dilectionem custodit aut cogitat, qui discordiae furore vesanus ecclesiam scindit, fidem destruit, pacem turbat, caritatem dissipat, sacramentum profanat?

XVI. Schismata praedicta sunt.

Malum hoc, fidelissimi fratres, jam pridem coeperat; sed nunc crevit ejusdem mali infesta clades, et exurgere ac pullulare plus coepit haereticae perversitatis et schismatum venenata pernicies, quia et sic in occasu mundi fieri oportebat, praenuntiante per apostolum nobis et praemonente Spiritu santo: *In novissimis*, inquit, *diebus aderunt tem-*

pora molesta, et erunt homines sibi placentes, superbi, tumidi, cupidi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, impii, sine affectu, sine foedere, delatores, incontinentes, immites, bonum non amantes, proditores, procaces, stupore inflati, voluptates magis quam Deum diligentes, habentes deformationem religionis, virtutem autem ejus abnegantes. Ex iis sunt qui repunt in domos, et praedantur mulierculas oneratas peccatis, quae ducuntur variis desideriis, semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Et quomodo Jamnes et Mambres restiterunt Moysi, sic et hi resistunt veritati, sed non proficient plurimum. Imperitia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit (2. Tim. 3, 1 ss.) Adimplentur quaecumque praedicta sunt, et appropinquante jam saeculi fine, hominum pariter ac temporum probatione venerunt. Magis ac magis adversario saeviente error fallit, extollit stupor, livor incendit, cupiditas excaecat, depravat impietas, superbia inflat, discordia exasperat, ira praecipitat.

XVII. Schismatici fugiendi sunt.

Non tamen nos moveat aut turbet multorum nimia et abrupta perfidia, sed potius fidem nostram praenuntiante rei veritate corroboret. Ut quidam tales esse coeperunt, quia haec ante praedicta sunt, ita caeteri fratres ab ejusmodi caveant, quia et haec ante praedicta sunt, instruente Domino et dicente: *Vos autem cavete, ecce praedixi vobis omnia* (Marc. 12, 23). Vitate, quaeso vos, fratres, ejusmodi homines, et a latere atque auribus vestris perniciosa colloquia velut contagium mortis arcete, sicut scriptum est: *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam* (Eccli. 28, 28). Et iterum: *Corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimae* (1. Cor. 15, 33). Docet Dominus et admonet a talibus recedendum. *Caeci sunt*, inquit, *duces caecorum. Caecus autem caecum ducens simul in foveam cadunt* (Matth. 15, 14). Aversandus est talis atque fugiendus quisquis fuerit ab ecclesia separatus. Perversus est hujusmodi et peccat, et est a semetipso damnatus. An esse sibi cum Christo videtur qui adversus sacerdotes Christi facit, qui se a cleri ejus et plebis societate secernit? Arma

ille contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat. Hostis altaris, adversus sacrificium Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens servus, filius impius, frater inimicus, contemptis episcopis et Dei sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, dominicae hostiae veritatem per falsa sacrificia profanare, nec scire quoniam qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam divina animadversione punitur.

XVIII. Schismaticorum poenae in V. T.

Sic Chore et Dathan et Abiron, qui sibi contra Moysen et Aaron sacerdotem sacrificandi licentiam vindicare conati sunt, poenas pro suis statim conatibus pependerunt (Num. 16, 27). Terra compagibus ruptis in profundum sinum patuit, stantes atque viventes recedentis soli hiatus absorbuit. Nec tantum eos qui auctores fuerant Dei indignantis ira percussit, sed et caeteros ducentos quinquaginta participes ejusdem furoris et comites, qui coagulati cum iisdem simul ad audaciam fuerant, exiens a Domino ignis properata ultione consumpsit, admonens scilicet et ostendens contra Deum fieri quidquid

improbi fuerint ad destruendam ordinationem Dei humana voluntate conati. Sic et Ozias rex, cum thuribulum ferens, et contra legem Dei sacrificium sibi violenter assumens, resistente sibi Azaria sacerdote, obtemperare nollet et cedere, divina indignatione confusus et leprae varietate in fronte maculatus est, ea parte corporis notatus offenso Domino, ubi signantur qui Dominum promerentur (2. Paral. 26, 19). Et filii Aaron, qui imposuerunt altari ignem alienum, quem non praeceperat Dominus, in conspectu statim Domini vindicantis exstincti sunt.

XIX. Gravitas criminis schismatis.

Quos imitantur scilicet atque sectantur qui Dei traditione contempta alienas doctrinas appetunt et magisteria humanae institutionis inducunt; quos increpat Dominus et objurgat in evangelio suo dicens: *Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis* (Marc. 7, 9). Pejus hoc crimen est quam quod admisisse lapsi videntur; qui tamen in poenitentia criminis constituti Deum plenis satisfactionibus deprecantur. Hic ecclesia quaeritur et rogatur, illic ecclesiae repugnatur; hic potest necessitas fuisse, illic voluntas tenetur in sce-

lere. Hic qui lapsus est sibi tantum nocuit, illic qui haeresim vel schisma facere conatus est multos secum trahendo decepit. Hic animae unius est damnum, illic periculum plurimorum. Certe peccasse se hic et intelligit et lamentatur et plangit: ille tumens in pectore suo, et in ipsis sibi delictis placens, a matre filios segregat, oves a pastore sollicitat, Dei sacramenta disturbat. Et cum lapsus semel peccaverit, ille quotidie peccat. Postremo lapsus martyrium postmodum consecutus potest regni promissa percipere; ille si extra ecclesiam fuerit occisus, ad ecclesiae non potest praemia pervenire.

XX. Confessores sibi caveant a tanto crimine.

Nec quisquam miretur, dilectissimi fratres, etiam de confessoribus [1]) quosdam ad ista procedere, inde quoque aliquos tam nefanda quam gravia peccare. Neque enim confessio immunem facit ab insidiis diaboli, aut contra tentationes et pericula et incursus

[1]) Confessores dicebantur qui coram judicibus ethnicis gloriose fidem confessi erant quique propter eandem fidem tormenta sustinuerant, vel adhuc in vinculis detinebantur.

atque impetus saeculares adhuc in saeculo positum perpetua securitate defendit. Caeterum nunquam in confessoribus fraudes et stupra et adulteria postmodum videremus, quae nunc in quibusdam videntes ingemiscimus et dolemus. Quisquis ille confessor est, Salomone major aut melior aut Deo carior non est: qui tamen quamdiu in viis Domini ambulavit, tamdiu gratiam quam de Domino fuerat consecutus obtinuit; postquam dereliquit Domini viam, perdidit et gratiam Domini. Et ideo scriptum est: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam* (Apoc. 3, 11). Quod utique Dominus non minaretur auferri posse coronam justitiae, nisi quia recedente justitia recedat necesse est et corona.

XXI. Post confessionem periculum est majus, quia plus adversarius provocatus est.

Confessio exordium gloriae est, non meritum jam coronae; nec perficit laudem, sed initiat dignitatem, cumque scriptum sit, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Matth. 10, 22), quidquid ante finem fuerit, gradus est, quo ad fastigium

salutis ascenditur, non terminus quo jam culminis summa teneatur. Confessor est; sed post confessionem periculum majus est, quia plus adversarius provocatus est. Confessor est; hoc magis stare debet cum Domini evangelio, per evangelium gloriam consecutus a Domino. Ait enim Dominus: *Cui multum datur, multum quaeritur ab eo; et cui plus dignitatis adscribitur, plus de illo exigitur servitutis* (Luc. 12, 48). Nemo per confessoris exemplum pereat, nemo injustitiam, nemo insolentiam, nemo perfidiam de confessoris moribus discat. Confessor est. Sit humilis et quietus, sit in actu suo cum disciplina modestus; ut qui Christi confessor dicitur, Christum quem confitetur imitetur. Nam cum dicat ille: *Qui se extollit humiliabitur, et qui humiliat se exaltabitur* (Luc. 18, 14), et ipse a Patre exaltatus sit, quia se in terris sermo et virtus et sapientia Dei Patris humiliavit, quomodo potest extollentiam diligere qui et nobis humilitatem sua lege mandavit, et ipse a Patre amplissimum nomen praemio humilitatis accepit? Confessor est Christi, sed si non postea blasphemetur per ipsum majestas et dignitas Christi. Lingua Christum confessa non sit maledica, non sit turbulenta, non conviciis et li-

tibus perstrepens audiatur, non contra fratres et Dei sacerdotes post verba laudis serpentis venena jaculetur. Caeterum si culpabilis et detestabilis postmodum fuerit, si confessionem suam mala conversatione prodegerit, si vitam suam turpi foeditate maculaverit, si ecclesiam denique, ubi confessor factus est, derelinquens, et unitatis concordiam scindens, fidem primam perfidia posteriore mutaverit, blandiri sibi per confessionem non potest, quasi sit electus ad gloriae praemium, quando ex hoc ipso magis creverint merita poenarum.

XXII. Quorundam lapsus aliis non obest.

Nam et Judam inter apostolos Dominus elegit, et tamen Dominum Judas postmodum prodidit. Non tamen idcirco apostolorum fides et firmitas cecidit, quia proditor Judas ab eorum societate defecit. Sic et hic non statim confessorum sanctitas et dignitas comminuta est, quia quorumdam fides fracta est. Beatus Paulus apostolus in epistola sua loquitur: *Quid enim si exciderunt a fide quidam illorum, numquid infidelitas illorum fidem Dei evacuavit? Absit. Est*

enim Deus verax, omnis autem homo mendax (Rom. 3, 3). Stat confessorum pars major et melior in fidei suae robore et in legis ac disciplinae dominicae veritate; nec ab ecclesiae pace discedunt qui se in ecclesia gratiam consecutos de Dei dignatione meminerunt; atque hoc ipso ampliorem consequuntur fidei suae laudem, quod ab eorum perfidia segregati, qui juncti confessionis consortio fuerunt, a contagio criminis recesserunt, vero illuminati evangelii lumine, pura et candida Domini luce radiati, tam sunt in conservanda Christi pace laudabiles, quam fuerunt in diaboli congressione victores.

XXIII. Seducti ad unitatem redeant.

Opto equidem, dilectissimi fratres, et consulo pariter et suadeo ut, si fieri potest, nemo de fratribus pereat et consentientis populi corpus unum gremio suo gaudens mater includat. Si tamen quosdam schismatum duces et dissensionis auctores in coeca et obstinata dementia permanentes non potuerit ad salutis viam consilium salubre revocare, caeteri tamen vel simplicitate capti, vel errore inducti, vel aliqua fallentis astu-

tiae calliditate decepti, a fallaciae vos laqueis solvite, vagantes gressus ab erroribus liberate, iter rectum viae coelestis agnoscite. Contestantis apostoli vox est: *Praecipimus vobis*, inquit, *in nomine Domini nostri Jesu Christi ut recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis* (2. Thess. 3, 6). Et iterum dicit: *Nemo vos decipiat inanibus verbis. Propterea enim venit ira Dei super filios contumaciae. Nolite ergo esse participes eorum* (Eph. 5, 6). Recedendum est a delinquentibus, vel imo fugiendum, ne dum quis male ambulantibus jungitur, et per itinera erroris et criminis graditur, a via veri itineris exerrans, pari crimine et ipse teneatur. Deus unus est, et Christus unus, et una ecclesia ejus, et fides una, et plebs una in solidam corporis unitatem concordiae glutino copulata. Scindi unitas non potest, nec corpus unum discidio compaginis separari, divulsis laceratione visceribus in frusta discerpi. Quidquid a matrice discesserit, seorsum vivere et spirare non poterit, substantiam salutis amittit.

XXIV. Pax amanda est.

Monet nos Spiritus sanctus et dicit: *Quis est homo qui vult vitam et amat videre dies optimos? Contine linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur insidiose. Declina a malo et fac bonum, quaere pacem et sequere eam* (Ps. 33, 13 ss.). Pacem quaerere debet et sequi filius pacis; a dissensionis malo continere linguam suam debet qui novit et diligit vinculum caritatis. Inter sua divina mandata et magisteria salutaria, passioni jam proximus Dominus addidit, dicens: *Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis* (Joan. 14, 27). Hanc nobis haereditatem dedit, dona omnia suae pollicitationis et praemia in pacis conservatione promisit. Si cohaeredes Christi sumus, in Christi pace maneamus. Si filii Dei sumus, pacifici esse debemus. *Beati*, inquit, *pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur* (Matth. 5, 9). Pacificos esse oportet Dei filios, corde mites, sermone simplices, affectione concordes, fideliter sibi unanimitatis nexibus cohaerentes.

XXV. Exemplum primorum fidelium.

Haec unanimitas sub apostolis olim fuit. Sic novus credentium populus, Domini mandata custodiens, caritatem suam tenuit. Probat scriptura divina quae dicit: *Turba autem eorum qui crediderant anima et mente una agebant* (Act. 4, 32). Et iterum: *Et erant perseverantes omnes unanimes in oratione cum mulieribus et Maria quae fuerat mater Jesu et fratribus ejus* (ib. 1, 14). Et ideo quia efficacibus precibus orabant, ideo impetrare cum fiducia poterant quodcumque de Domini misericordia postulabant.

XXVI. Quantum distamus a fervore primorum fidelium.

In nobis vero sic unanimitas diminuta est, ut et largitas operationis infracta est. Domos tunc et fundos venundabant, et thesauros sibi in coelo reponentes, distribuenda in usus indigentium pretia apostolis offerebant. At nunc de patrimonio nec decimas damus; et cum vendere jubeat Dominus, emimus potius et augemus. Sic in nobis emar-

cuit vigor fidei, sic credentium robur elanguit. Et idcirco Dominus tempora nostra respiciens in evangelio suo dicit: *Filius hominis cum venerit, putas inveniet fidem in terra* (Luc. 18, 8)? Videmus fieri quod ille praedixit. In Dei timore, in lege justitiae, in dilectione, in opere fides nulla est. Nemo futurorum metum cogitat, diem Domini et iram Dei, et incredulis ventura supplicia, et statuta perfidis aeterna tormenta nemo considerat. Quod metueret conscientia nostra, si crederet. Quia non credit omnino, nec metuit. Si autem crederet, et caveret; si caveret, evaderet. Excitemus nos quantum possumus, dilectissimi fratres, et somno inertiae veteris abrupto, ad observanda et gerenda Domini praecepta vigilemus. Simus tales quales esse nos ipse praecepit, dicens: *Sint lumbi vestri accincti et lucernae ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando veniat a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit aperiant ei. Beati servi quos adveniens Dominus invenerit vigilantes* (ib. 12, 35 ss.). Accinctos nos esse oportet, ne cum expeditionis dies venerit, impeditos nos et implicitos apprehendat. Luceat in bonis operibus nostrum lumen et fulgeat, ut ipsum nos ad lucem claritatis

aeternae de hac saeculi nocte perducat. Expectemus solliciti semper et cauti adventum Domini repentinum, ut quando ille pulsaverit, evigilet fides nostra, vigilantiae praemium de Domino receptura. Si haec mandata serventur, si haec monita et praecepta teneantur, opprimi dormientes diabolo fallente non possumus, servi vigiles Christo dominante regnabimus.

DISSERTATIO I.

DAEMON VEL INVITUS TESTIS DIVINAE ORIGINIS RELIGIONIS CHRISTIANAE.

I. Quam frequens apud Patres argumentum ex daemonum expulsione petitum.

Inter argumenta, quibus veteres religionis christianae Apologetae divinam hujus contra gentiles tuentur originem, illud non ultimo loco numerandum est, quod ex daemonum petunt expulsione, quos nomen Jesu ex obsessorum corporibus fugabat cogebatque vel invitos virtutem confiteri Salvatoris. Sed non solum adversus gentiles hoc argumentum Patres urgebant, verum etiam haeretici illius sentiebant vim, tanti censebatur ponderis. Nec immerito, cum et generatim testimonium inimici contra se et pro eo, quem acerrimo

insequitur odio, minime suspectum censeri possit [1]), et nominatim hoc testimonium, quod ejectione daemonum ac eorundem confessione sola nominis Jesu invocatione extorta continetur, veri miraculi habeat rationem; miraculum vero in veritatis alicujus confirmationem patratum ex omnium populorum conspiratione pro testimonio ipsius Dei habetur. Utuntur autem argumento hoc, ut saltem nonnullos ex veteribus recenseamus, Justinus M., Theophilus Antiochenus, Irenaeus, Tertullianus, Minucius Felix, Origenes, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Firmicus Maternus, Antonius, Eusebius Caes., Athanasius, Cyrillus Hieros. Hilarius, Ambrosius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Paulinus Nol. Gregorius M. Aeneas Gazensis etc.

II. Argumenti hujus momentum.

Cum igitur Patres huic argumento adeo confisi sint, illudque toties adhibuerint, operae

---

[1]) Secundum illud S. Ambr. L. 5 in Luc. n. 12: „Validius est ad fidem quod confitentur inviti.“ Quibus similia habet Tertull. Apolog. c. 24, cujus verba n. 8 afferemus.

pretium duximus accurate diligenterque in horum Patrum testimonii pretium argumentique vim inquirere. Si enim semel de facti hujus constet veritate, quam irrefragabili argumento coelestis religionis nostrae comprobabitur origo! Nec tantum id commodi ex eo capiemus, verum etiam speciatim quaedam veritates, quae ab incredulis solent fabulis figmentisque accenseri, luculenter vindicabuntur. Firmabitur fides, si mirandam considerabimus nominis Jesu virtutem: spes dilatabitur, nobis quoque contra daemonum insultus propitium fore Salvatorem, qui illos quondam tam manifesto fugavit. Augebitur amor erga nomen Jesu, quod portis inferi adeo terrori est.

III. Patres unanimes testantur daemones invocatione nominis Jesu pulsos fuisse e corporibus obsessorum.

Sed verumne est Patres testari daemones invocatione nominis Jesu quasi quodam flagello e corporibus illorum, quos energumenos vocant, fuisse ejectos? Peregrinus plane et hospes in scriptis veterum sit oportet, qui de hoc vel momento addubitet. Hoc enim

omnes illi testantur, quos supra nominavimus, quibus alii plures adjici possent. Aliquos tantum audiamus. Ita Theophilus Antiochenus, postquam graecorum de providentia dissensiones ostendit, dixitque illorum poetas ex falsis animi visis ac fallaci spiritu sua theologumena protulisse, id probaturus subjicit[1]): „Quod quidem clare ex eo demonstratur, quod qui a daemonibus interdum corripiuntur, ii etiamnum adjurentur per nomen veri Dei, tumque fallaces ipsi illi spiritus daemones se esse fateantur, qui etiam olim in istis scriptoribus operabantur.“ Testatur id Arnobius cum adversus gentes scribit[2]): „Cujus (i. e. Christi) nomen auditum fugat noxios spiritus, imponit silentium vatibus, haruspices inconsultos reddit, arrogantium magorum frustrari efficit actiones, non horrore, ut dicitis, nominis sed majoris licentia potestatis.“ Quod hujus discipulus, eloquentissimus scil. Lactantius, suffragio suo confirmat[3]): „Justos autem, id est cultores Dei, metuunt (daemones), cujus nomine adjurati de corporibus excedunt: quorum ver-

---

[1]) L. 2 n. 8 ad Autolycum.
[2]) L. 1 c. 46.
[3]) Divin. instit. L. 2 c. 16.

bis, tanquam flagris verberati, non modo daemonas se esse confitentur, sed etiam nomina sua edunt illa, quae in templis adorantur et quod plerumque coram cultoribus suis faciunt, non utique in opprobrium religionis et honoris sui, quia nec Deo per quem adjurantur, nec justis, quorum voce torquentur mentiri possunt. Itaque maximis saepe ululatibus editis verberari se et ardere et jam jamque exire proclamant: tantum habet Dei cognitio ac justitia potestatis.“ A Lactantio sejungi non debet alter saeculi quarti Apologeta, Julius Firmicus Maternus, qui ita gentiles alloquitur [1]): Sic apud nos deos vestros, cum hominibus nocere coeperint, religiosi sermonis flagella castigant. Sic in corpore hominum constituti dii vestri, verbo Dei spiritualium flammarum igne torquentur, et qui apud vos quasi dii coluntur, apud nos religiosae fidei medela Christi gratia humano subjacentes imperio et tormenta repugnantes sustinent et victi poenis ultricibus subjugantur.“ Hisce plane consentit Antonius canens [2]):

---

[1]) De errore profan. relig. c. 14. Cf. c. 20.

[2]) Antonius hic auctor quidem est vetustus sed ignotus. Cf. Lumper in Histor. theol. crit. de

. . . . . „Qui (diabolus) nunc in nomine Christi
Et tremit et pendet suaque omnia facta fatetur.“

Ad hoc factum respicit Hilarius cum argumenta quaedam divinae Christi missionis recensens scribit [1]): „Non enim negari jam Christus quin Christus sit potest, neque mundo ignorabilis effici. Hunc prophetiae volumina consignant, hunc temporum quotidie proficiens plenitudo testatur, hunc Apostolorum et Martyrum per virtutum operationes loquuntur sepulchra, hunc potestas nominis sui probat, hunc immundi spiritus confitentur, hunc punitorum daemonum resonant mugitus.“ Quae enarrans Ps. 64, v. 7 s. [2]) repetit: „Nunc vero Domino Christo praedicato silere omnia confutata et trepida, cum hi templorum et gentium dii virtute fidelium subjiciuntur ad poenam: cum credentium verbis torquentur, laniantur, uruntur et invisibiles nobis atque incomprehensibiles naturae verbo continentur, puniuntur, cum vates si-

---

vita etc. SS. PP. P. 13 Sect. 6 c. 2 a. 4. Habentur autem haec in carmine ejus adv. gentes v. 146 s. ap. Migne Patrol. lat. 5, 277.

[1]) De Trin. L. 11 n. 3. cf. similia L. in Constantium n. 8.

[2]) n. 10.

lent, cum muta sunt templa. Per haec itaque jam judicio praeparantur [1])."

IV. Patres narrant quod experiendo didicerunt.

Certum ergo est Patres testes esse facti illius de quo agimus. Sed forte rumore tantum incerto innixi creduli nimis illud referunt? Nihil minus, cum illud narrent, quod oculis suis viderunt, quod ipsis praesentibus contigit, quod experiendo didicerunt. Hanc experientiam celebrat Gregorius Nazianzenus, cum cautitur, ut pro-

---

[1]) Brevitatis gratia aliorum testimonia omittimus. Cf. ex. gr. Pseudoclemens Recognit. L. 4 n. 20; Cyprianus ep. 1 ad Donat.; Tertullianus Apol. cc. 43, 44; de corona milit. c. 11; de anima c. 57. Lactantius de mortibus persec. c. 10; Paulinus Nolanus Carm. 14 et 15 seu 6 et 7 in S. Felic.; Hieronymus ep. 27 ad Eustoch. c. 6; Zeno Veronensis L. 1 Tr. 16 n. 3, de cujus tamen singulari quadam doctrina hac in re cf. Ballerin in dissert. 2 de S. Zenonis doctrina c. 8: Ambrosius in exhort. ad Virg.; Paulinus passim in vita S. Ambrosii; Augustinus ep. 78 al. 137 n. 3; Faustinus et Marcellinus in suo lib. precum ad imper. n. 7; Gregorius M. H. 32 in. Ev.; Aeneas Gaz. in dial. Theophrastus etc.

bet mirum non esse si Christus fugaverit daemones [1]):

. . . . . „Nam et ego, pars Christi, nomen venerandum
Saepe cum solum pronuntiavi, procul effugit daemon
Stridens, gemens, clamans virtutem Omnipotentis etc.“

Ad hanc provocat Eusebius Caesariensis adversus Hieroclem Bithyniae praesidem, infensissimum christianorum hostem, qui Apollonium Tyaneum praestigiatorem Salvatori nostro comparare, imo et praeferre ausus erat. Hisce enim Salvatorem magum illum longe praecellere inter alia comprobat [2]): „Adhucdum divinae potentiae suae virtutem demonstrat, miseros quosdam et infaustos daemonas corporibus hominum animisque insidiantes solo sacratissimo nomine suo appellato expellens, *prout ipsa edocti experientia sumus*.“ Ad hanc provocat pariter Tertullianus adversus Scapulam Africae praesidem [3]): „Daemonas autem non tantum respuimus, verum et revincimus et

---

[2]) Carmin. L. 2 Sect. 2 c. 7 v. 80 sqq. ad Nemisium ab. 62.

[2]) L. 1 c. 4.

[3]) c. 3.

quotidie traducimus et de hominibus expellimus, *sicut plurimis notum est.*“ Ad hanc provocat Ambrosius disputans in concione publica adversus Arianos negantes Christi divinitatem [1]): Audivimus hodie dicentes eos, quibus manus imponebatur, neminem posse esse salvum, nisi qui in Patrem et Filium et Spiritum sanctum credidisset: illum mortuum, illum funereum, qui Spiritum sanctum negaret, qui Trinitatis omnipotentem virtutem non crederet. Confitetur hoc diabolus, sed Ariani nolunt fateri. Dicit diabolus: Sic torqueatur, quemadmodum ipse a martyribus torquebatur, qui Spiritus sancti deitatem negaret. Non accipio a diabolo testimonium, sed confessionem. Invitus dixit diabolus, sed exactus et tortus. Quod nequitia supprimit, extorquet injuria. Cedit diabolus plagis et adhuc cedere nesciunt Ariani. Quanta perpessi sunt, et quemadmodum Pharao malis suis indurantur? Dicebat diabolus, ut scriptum legimus: Scio te quis sis, tu es Filius Dei vivi (Marc. 1, 24). Dicebant Judaei: Nescimus quis sit (Joan. 9, 29). Dicebant

---

[1]) Ep. 22 n. 21 s. Ib. n. 9 fideles alloquens: „Cognovistis, inquit, imo vidistis ipsi multos a daemoniis purgatos.

hodie et superiore die vel nocte daemones: Scimus quia martyres estis. Et Ariani dicunt: Nescimus, nolumus intelligere, nolumus credere. Dicunt daemones martyribus: Venistis perdere nos; Ariani dicunt: Non sunt daemonum vera tormenta, sed ficta et composita ludibria. Audivi multa componi, hoc nemo unquam fingere potuit, ut daemonem se esse simularet. Quid illud, quod ita exagitari eos videmus, quibus manus imponitur? *Ubi hic locus fraudi est? ubi suspicio simulandi?*“ Quae verba commentario non indigent, adeo decretoria sunt.

V. Facti hujus celebritas.

Jam ex his Patrum verbis, quae modo adduximus, constat, factum quod illi testantur factum esse publicum, factum proinde tale, cujus veritas in dubium vocari non possit; in ejusmodi enim factis referendis et longe magis abest periculum errandi et fere impossibilis est voluntas decipiendi. Hinc ut de auctoritate et pondere testimonii Patrum hac in quaestione magis magisque convincamur, non inutile erit hanc facti, de quo agimus, proprietatem novis comprobare suffragiis. In omnium conspectu, etiam coram gentilibus et inimicis

nominis christiani haec contigisse patet ex verbis S. Cypriani [1]): „Hi tamen (spiritus mali) adjurati per Deum statim cedunt et fatentur et de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostra voce et operatione majestatis occultae flagris caedi, igne torreri, incremento poenae propagantis extendi, ejulare, gemere, deprecari, unde veniant, et quando discedant, ipsis etiam qui se colunt audientibus confiteri, et vel exsiliunt statim vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat aut gratia curantis aspirat.“ Hinc Origenes, ut evincat charismata sancti Spiritus in Ecclesia non cessasse, tanquam ad rem omnibus notam ad hanc daemonum expulsionem provocat [2]): „Etiamnum vestigia sancti illius Spiritus apud christianos supersunt. Excantant daemones etc.“ Audiatur et Justinus [3]): „Hoc ipsum ex his, quae sub aspectu vestro fiunt, intelligere potestis. Complures siquidem daemonum intemperiis correptos homines per orbem omnem et hanc vestram urbem, quos alii adjuratores et in-

---

[1]) De idol. vanit. n. 7.

[2]) Adv. Cels. L. 1 p. 31 edit. Cantab. Cf. quoque L. 8.

[3]) Apol. 2 n. 6.

cantatores et venefici vestri curare non potuerunt, permulti hominum nostrorum, christianorum inquam, per nomen Jesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi adjurantes sanarunt atque etiam nunc sanant exarmantes atque exigentes, qui illos obsederunt daemones etc.“ Quibus similia profert Tryphoni judaeo [1]) demonstrans Christum esse Dominum virtutum: „Id quod vobis etiam nunc facile est ex his quae in omnium oculis geruntur perspicere, si velitis. Nam per nomen ipsius illius Filii Dei et omnis creaturae primogeniti, qui ex Virgine natus est, et homo perpessionibus obnoxius factus, et sub Pontio Pilato a populo vestro crucifixus et mortuus est, ac resurrexit ex mortuis et ascendit in coelum daemonium quodlibet adjuratum vincitur et subjicitur. Si vero per nomen quodlibet eorum, qui apud vos fuerunt aut regum aut justorum aut prophetarum aut patriarcharum a vobis adjurentur nullum subjicietur daemonium.“ Nec omittere licet haec verba Chrysostomi, quibus reliquiarum virtutem extollit [2]): „Atque hoc ego non solum ex iis probabo quae jampridem acciderunt, sed ex iis

[1]) n. 85.
[2]) Hom. 92 T. 5. edit. Savil.

etiam quae hodieque fiunt. Etenim daemoniacum aliquem et furentem capiens ad illud sanctum sepulchrum adducito, ubi sitae sunt martyris reliquiae et omnino resilire ipsum ac fugere videbis. Sic enim, tanquam super carbones ambulandum sibi esset, ita statim ab ipso vestibulo fugiet, nec vel loculum ipsum aspicere audebit [1])."

VI. Facti frequentia.

Nec raro accidit ut daemon virtutem experiretur nominis Christi sed persaepe, factum siquidem erat fere quotidianum. Id colligimus ex pluribus Patrum testimoniis quae jam adduximus. Id colligimus praeterea ex verbis Cyrilli Hierosolymitani, qui te-

[1]) Similia habet H. 67: „Quod si decepti sunt (Martyres), qui fit, ut eorum cineres daemones pertimescant? Qui fit, ut eorum etiam tumulos fugiant? Neque enim id eis accidit quod mortuos reformident daemones. Ecce namque mortui sunt ubique terrarum innumeri et illis assident: multos videre possumus a daemone correptos, qui in desertis ac sepulchris degunt, ubi vero Martyrum defossa sunt ossa, inde tanquam ab igne et intolerando supplicio resiliunt, ac virtutem intus ipsos flagellantem clara voce testantur." Cf. praeterea Chrysost. in Hom. de futurorum deliciis (ap. Migne Patrol. 51, 348) n. 2.

stimonia, quibus Christi divina missio comprobatur, recensens, ultimo loco et hoc adducit [1]): „Testificantur daemones qui fidelium ministerio in hunc usque diem expelluntur.“ Colligimus id ex iis, quae refert Lactantius [2]), qui exinde probat virtutem signi sanctae crucis: „Quanto terrori sit, scribit ille, daemonibus hoc signum, sciet qui viderit quatenus adjurati per Christum de corporibus, quae obsederint, fugiant. Nam sicut ipse, cum inter homines ageret, universos daemonas verbo fugabat, hominumque mentes emotas et malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat: ita nunc sectatores ejus eosdem spiritus inquinatos de hominibus et nomine magistri sui et signo passionis excludunt. Cujus rei non difficilis est probatio. Nam cum suis diis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant,

Nec responsa potest consultus reddere vates.

Et haec saepe causa praecipua justitiam persequendi malis regibus fuit. Cum enim quidam ministrorum nostri sacrificantibus

---

[1]) Catech. 10 n. 19.

[2]) Divin. instit. L. 4 c. 27 Cf. etiam L. 5 c. 22 et Epitome div. inst. c. 51.

dominis assisterent, imposito frontibus signo, deos illorum fugaverunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere etc.“ „Hodie etiam geritur, scribit pariter Cyprianus ad Magnum [1]), ut per exorcistas voce humana et potestate divina flagelletur et uratur et torqueatur diabolus et cum exire se et homines Dei dimittere saepe dicat, in eo tamen quod dixerit fallat“ etc. Evidenter vero id colligitur ex Tertulliano, qui in suo Apologetico [2]) hoc tuetur, christianos amore incensos virtutis obsequentesque verbis et exemplis Christi, non propter impotentiam, patienter ferre tot injurias alienosque esse ab omni ulciscendi cupiditate. Quod ut evincat ostendit, facile fore expeditumque ulcisci christianis, si vellent, quum quadruplex vindictae modus ipsis suppeditaret. Possent siquidem faculis clam injectis urbem incendere, possent palam et vi aperta persecutoribus resistere cum ingens eorum sit numerus, cum jam fere omnia, templis exceptis, impleverint; possent sola discessione, qua deserta redderentur omnia;

---

[1]) Ep. 76 n. 15. S Ambrosius in sua de obitu Theodosii oratione n. 10: „Denique adversarius, inquit, et legiones suae *quotidiana* martyrum virtute torquentur.“

[2]) c. 37.

possent tandem sola recusatione hujus beneficii quo daemones ex ethnicis quoque abigere solebant. „Quis autem, inquit, vos ab illis occultis et usquequaque vastantibus mentes et valetudines vestras hostibus raperet? a daemoniorum occursibus dico, quae de vobis sine praemio, sine mercede depellimus? Suffecisset hoc solum nostrae ultioni, quod vacua exinde possessio immundis spiritibus pateretis.“ Exaggerate quidem haec dicta esse videntur, tamen nisi frequens admodum fuisset haec daemonum expulsio, irrisioni causam suam exposuisset Apologeta noster.

VII. Qua confidentia Patres ad hoc factum in disputationibus suis cum idolorum cultoribus provocent.

Cum igitur factum hoc fuerit publicum, sollemne, frequens, mirum esse non debet, si Apologetae summa cum confidentia idololatras ad illud provocaverint, ut vanitatem discerent idolorum, veritatem doctrinae christianae virtutemque nominis Christi. Haec confidentia elucet e verbis Cypriani in libro ad Demetrianum [1]). Elucet e verbis Atha-

[1]) n. 15. Verba hic non exhibemus, cum in ipso opusculo modo edito legi possint.

nasii [1]): „Haec autem quae dicimus non in solis verbis consistunt, sed ipsa etiam experientia praeclarum veritati dat testimonium .... Veniat et quisquis ea quae diximus experiri cupit, atque in mediis ipsis daemonum praestigiis et oraculorum fallaciis ac magiae prodigiis, signo crucis, quae apud ipsos ludibrio est, utatur solumque Christum nominet, mox videbit, quam cito per ipsum fugentur daemones, cessent oracula, ars omnis magica veneficiaque evanescant.“ Non minori fiducia utitur [2]) hoc facto Minucius Felix: „Haec omnia sciunt plerique pars vestrum, ipsos daemonas de semetipsis confiteri, quoties a nobis et tormentis verborum et orationis incendiis de corporibus exiguntur.... Ipsis testibus esse eos daemonas de se verum confitentibus credite. Adjurati enim per Deum verum et solum inviti miseris corporibus inhorrescunt, et vel exsiliunt statim vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat aut gratia curantis aspirat.“ Merito proinde Cyrillus Hierosolymitanus quaerit [3]): „Multi diversis temporibus cruci affixi sunt,

---

[1]) De incarn. Verbi Dei n. 48.
[2]) In Octavio c. 27.
[3]) Catech. 4 n. 13.

verum cujusnam alterius in crucem acti invocatio daemones usquam effugavit?“ Nec dissimili ratione Chrysostomus [1]) gentiles insequitur. In pugna quoque cum haereticis tam Hieronymus [2]), quam Ambrosius ad daemonum confessionem mugitusque non quidem nominis Jesu invocatione extortos, sed praesentia reliquiarum illorum, qui pro hujus nominis confessione sanguinem fuderunt suum, fidenter plane provocant, quorum alter ita scribit [3]): „Tanta est incredulorum perfidia, ut tolerabilior sit diaboli plerumque confessio. Dicebat enim diabolus: Jesu, fili Dei vivi, quid venisti ante tempus torquere nos [4])? Et cum haec audirent Judaei, ipsi tamen Dei Filium denegabant. Et nunc audistis clamantes daemones et confitentes martyribus, quod poenas ferre non possint et dicentes: Quid venistis ut ante tempus nos tam graviter torqueatis? Et Ariani dicunt, non sunt isti Martyres et torquere diabolum non possunt, nec aliquem liberare; cum tormenta daemonum ipsorum voce probentur, et beneficia

---

[1]) Hom. 67 T. 5 edit. Sav. cf. supra not. p. 117.
[2]) Adv. Vigil. n. 10.
[3]) Ep. 22 n. 16.
[4]) Matth. 8, 29.

Martyrum remediis caecorum et absolutorum indiciis declarentur."

VIII. Tertulliani testimonium insigne.

Nemo vero ita fidenter ad hoc factum provocat ut Tertullianus, qui simul vim probandi facto huic insitam egregie omnino declarat, cujus verba licet prolixa, integra tamen sunt adducenda. „Edatur hic aliquis, ita alloquitur [1]) imperii antistites, sub tribunalibus vestris, quem daemone agi constet. Jussus a quolibet christiano loqui spiritus ille tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. Aeque producatur aliquis ex iis qui de Deo pati existimantur... nisi se daemones confessi fuerint, christiano mentiri non audentes, ibidem illius christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? Quid hac probatione fidelius? simplicitas veritatis in medio est, virtus illi sua assistit; nihil suspicari licebit. Magia autem aliqua ejusmodi fallacia fieri dicetis, si oculi vestri et aures permiserint vobis." Ostendit deinde sequi hinc nullos esse gentilium deos, et ita prosequitur: „Eadem vero

[1]) Apolog. cc. 23 s.

opera nostra ab eisdem diis vestris non tantum hoc detegentibus quod neque ipsi dii sint neque ulli alii, etiam illud in continenti cognoscitis, qui sit vere Deus, et an ille et an unicus, quem christiani profitemur, et an ita credendus colendusque ut fides, ut disciplina disposita est christianorum..... atqui omnis haec nostra in illos dominatio et potestas de nominatione Christi est et de commemoratione eorum, quae sibi a Deo per arbitrum Christum imminentia exspectant. Christum timentes in Deo et Deum in Christo subjiciuntur servis Dei et Christi. Ita de contactu deque afflatu nostro contemplatione et repraesentatione ignis illius correpti etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti et dolentes et vobis praesentibus erubescentes. Credite illis cum verum de se loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem. Magis fides prona est adversus semetipsos confitentes quam pro semetipsis negantes.“ Hactenus Tertullianus. Legi autem haec non possunt quin de facti certitudine imo et celebritate convincamur.

IX. Hoc facto multi inducti sunt ad amplectendam fidem Christi.

Adeo celebre fuit hoc factum, ut propterea multi fidem amplecterentur christianam. „Haec denique testimonia deorum vestrorum, prosequitur Tertullianus [1]), christianos facere consueverunt, quia plurimum illis credendo Christo Domino credimus. Ipsi literarum nostrarum fidem accendunt, ipsi spei nostrae fidentiam aedificant etc.“ Hoc pariter testatur Irenaeus [2]) disserens de charismatis, quibus suo tempore florebat Ecclesia, cujus verba utpote memoria dignissima in suam retulit historiam ecclesiasticam Eusebius [3]): „Alii (discipuli scil. Christi) daemones excludunt firmissime et vere, ut etiam saepissime credant ipsi qui emundati sunt a nequissimis spiritibus et sint in Ecclesia.“ Lactantius rationes reddens incrementi religionis christianae et hanc adducit [4]): „Ne haec quidem levis causa est, quod immundi daemonum spiritus accepta licentia multorum se

---

[1]) L. c.
[2]) L. 2 adv. Haer. c. 32 n. 4 al. c. 57.
[3]) L. 5 c. 7.
[4]) Div. instit. L. 5 c. 23.

corporibus immergunt, quibus postea ejectis, omnes qui resanati fuerint, adhaereant religioni, cujus potentiam senserunt. Hae tot causae in unum collatae magnam Deo multitudinem mirabiliter acquirunt [1]).“

X. Dotes hujus consensus.

Audivimus testes *plurium saeculorum, omnium regionum nationumque*, ex Asia minori, Palaestina, Aegypto, Africa, Gallia, Italia etc., *numero plurimos;* si eorum dotes requiras, tales plane quibus tuto credas, cum et doctrina ita excelluerint ut plerique inter *Doctores* et *Patres* Ecclesiae numerentur, et sanctitate virtutumque splendore ita refulserint ut fere omnes, paucis exceptis, *Sanctorum catologo* sint adscripti. Quid vero testantur? Factum *publicum*, factum *solemne*, factum *identidem repetitum*. Quomodo id testantur? ea *fiducia*, quae omnem fraudis suspicionem exterminat. Coram qui-

[1]) Ejusmodi conversionum ad fidem christianam exempla occasione expulsionis vel confessionis daemonis referuntur in actis Martyrum S. Callixti, antiquis quidem sed forte non genuinis n. 3; in actis SS. MM. Epipodii et Alexandri n. 13 (ap. Migne Patrol. gr. 5, 1462).

bus id testantur? *Coram suis inimicis acerrimis*, quorum maxime intererat in facti veritatem indagare, omnem deceptionem sensuumque mendacia detegere, fraudes aperire; quod certo non omisissent, si vel minimus dubitandi fuisset locus. Quo *proventu* quove *fructu* id testantur? Eo qui proprius esse solet veritatis patefactae detectique erroris. Obturata sunt gentilium ora, persecutores pudore suffusi, lucis osores revicti, credentium multitudo mirabiliter est aucta. En laetissimi hujus testimonii fructus. Quibus omnibus expensis quis jam hujus facti veritatem non dico negare, sed vel in dubium revocare audebit sanae mentis si dici velit, vel leges omnes sanae criticae nolit pedibus conculcare? Merito verba Thomassini de miraculis reliquiarum virtute patratis disserentis repetere possumus [1]): „Quid agimus? Aut adjicienda et his fides est, aut tota fides christiana difflanda atque hominum mentibus expungenda omnino est. Si quos enim fidei nostrae antesignanos, Theologiae nostrae principes, Ecclesiae lumina profitemur esse, non paucos eorum tantum, sed omnes penitus

---

[1]) Theologic. dogm. T. 1 de Incarn. L. 12 c. 4.

eos anilibus fabulis deludi ac praestigiis dementari potuisse agnoscimus, quo Theologia nostra, quo Ecclesia evadet? Sed quando haec miracula tam cognata sunt et pene gemella ac contexta iis quae in Actis Apostolicis prodita sunt, qui illis mendacii inurunt infamiam, his quoque, si simulationis fucus omnis abstergeatur, fidem abjudicabunt.“ Quae verissima sunt, nec enim liquet qua ratione possit hoc factum vel negari vel in dubium vocari, quin jure eodem facta pleraque omnia historiae tam ecclesiasticae quam profanae negentur vel revocentur in dubium. Quare certissimum nobis sit, re vera *virtute nominis Christi daemones ex corporibus illorum, quos obsederant, pulsos fugatosque fuisse.*

XI. Corollaria.

Quo constituto plura jam consequuntur corollaria. Consequitur enim *inprimis* existere daemones, spiritus nimirum nequam, Deo rebelles, inimicos naturae humanae, quorum proprium est saluti insidiari hominum, quod fidei christianae dogma passim jam deridetur, sibilis exploditur, fabulis accensetur anilibus; nam quod omnino non est tot tantisque verae fugae indiciis expelli

nequit. Confirmatur *deinde* historiae evangelicae veritas, cum et sequentibus saeculis eadem plane contigisse videmus, quae Christi nutu in evangeliis patrata narrantur. Nonne *etiam* hoc facto luculenter adimpleta Salvatoris conspicimus verba [1]): *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras?* vel verba Apostoli gentium [2]): „*Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et* infernorum?“ Nonne Patres audivimus testantes daemones audito solum nomine Jesu terrore corripi, clamore egredi praecipitique se dare fugae sedes deserentes quas vi diu occupaverant? Promissis *quoque* suis stetit mundi Redemptor. Ascensurus enim in coelum iis qui crediderint pollicitus est [3]): *in nomine meo daemonia ejicient.* Consequitur *quinto* quod etiam Irenaeus [4]) et Origenes [5]) inferunt, Ecclesiam morte Apostolorum charismatis sancti Spiritus destitutam non fuisse, sed eodem illo Spiritu, in quo Christus ejecit daemonia, esse

---

[1]) Joan 12, 31.
[2]) Philip. 2, 9 s.
[3]) Marc. 16, 17.
[4]) Cf. n. 9.
[5]) Cf. n. 5.

repletam ac ditatam, proindeque templum esse Spiritus sancti ac corpus Christi vivum. Cum autem vera Ecclesia semper esse debeat templum sancti Spiritus et corpus Christi vivum eodemque idcirco animari spiritu quo Caput, coetus ille vera erit Ecclesia, qui hoc sibi adjudicat charisma eoque revera fruitur; qui vero eo privatur illudque sibi vel vindicare non audet aut ne tanti quidem facit, ut illud sibi tribuere etiam aspernetur, titulo verae Ecclesiae se exuat. Quare tam in quaestione theoretica de notis verae Ecclesiae, quam in quaestione practica, quinam inter tot coetus, qui Christi nomine gloriantur, vera censeri debeat Christi Ecclesia, hujus quoque charismatis ratio haberi posset [1]). Consequitur *sexto*, ut jam initio animadvertimus, doctrinam illius, cujus vel nomen solum adeo est potens, ut ubique terrarum daemones terreat, cruciet, expellat, fuget, doctrinam esse divinitus revelatam, minime vero humanum sive inventum sive figmentum. Merito proinde diximus daemones vel invitos testes esse originis divinae religionis Christi.

---

[1]) Rationem illius habet Thomas Bozius in opere praeclaro de Signis Ecclesiae Dei, signo 94.

Neque enim ulla probabili ratione factum hoc poterit rite explicari, si specialis Dei interventus rejiciatur. Quod si specialis adest Omnipotentis interventus, sigillo divino doctrina illa obsignatur confirmaturque; et sicut sigillum regium diplomatis quibus apponitur vim auctoritatemque tribuit, ita et hoc sigillum doctrinam quam comitatur divinam ostendit. Qui vero facti hujus rationem vel ex legibus naturae vel ex interventu daemonis vel etiam ex collusione cum eo repetere velit, risu potius dignus quam refutatione videtur, cum sufficiat vel obiter Patrum effata expendere, ut liqueat explicationem ejusmodi consistere minime posse. Colligimus *praeterea* ex hoc facto, contemni haud posse sive exorcismorum usum quem Ecclesia frequentat, sive exorcistarum ordinem, quem eadem instituit, cum illorum usum Patrum effata luculenter testentur ac fructum utilitatemque evidenter demonstrent; nec vero simile videtur daemonem Christi virtutem potestatemque minus nunc pertimescere aut persentiscere. Animadverti tamen cum majoribus nostris debet exorcismorum vim efficientiamque ab eorum qui iis utuntur fide saepe pendere, *prout scil. fides patientis adjuvat aut gratia curantis aspirat*, ut scribit praeeunte

Cypriano Minucius Felix[1]). Liceat nobis disputationem hanc conjectura quadam concludere. Invalescente et praevalente religione et fide christiana imminutum gradatim cernimus daemonis principatum ipsumque ejectum foras, unde nec tanta ipsi inest homines invadendi licentia ut tunc, cum homines sedebant in tenebris et in umbra mortis. Nonne hinc timendum est, si refrigescat charitas multorum, si praevaleat rursus impietas, si evanescat et extinguatur plurium fides, incrementa iterum accepturam esse daemonis potestatem, adeo ut audere possit, quae antea, Christi virtute repressus, facere amplius non est ausus? Cum vero hac nostra aetate plurimorum fides vacillet, imo sit restincta, praevaleat incredulorum turba ac in immensum crescat, quid mirum, si nunc saepius ejusmodi phaenomena contingere audimus, ut ex. gr. mensas interrogantibus respondere, idiotas linguis loqui novis etc., quae cum nec secundum leges naturales explicari nec semper fraudibus vel praestigiis adscribi possint, sponte sua in memoriam revocant phaenomena illa, quae principe hujus mundi nondum foras ejecto, frequenter contigisse, sed

---

[1]) Supra n. 5 et 7.

postquam fides in Christum invaluit, paullatim cessasse Patres testantur. Eandem proinde causam utrique subesse phaenomenis suspicari licebit [1]). Hinc forte sicut vel so-

---

[1]) Caeterum hac de re cf. egregiam sed prolixam disputationem in Civilta cattolica an. 1864 Vol. 11 et seqq. cui titulus: *Lo Spiritismo nel mondo moderno*, in qua bene ostenditur plurium effectuum Spiritismi causam aliam esse non posse quam daemonem. Quod egregie quoque doctissimus P. Perrone in suo opere modo edito *de virtute Religionis* omnigena eruditione referto comprobat. Has enim ex ordine propositiones statuit argumentisque confirmat: 1. Licet nonnulla physiologica magnetismi animalis ac somnambulismi phaenomena per se materialibus causis naturalibus adscribi valeant, pleraque tamen illis tribui nullatenus possunt. 2. Neque a causis naturalibus physiologicis mesmerica *omnia* phaenomena repeti possunt. 3. Voluntas humana neque immediate per se, neque per vim motricem animae propriam potest esse causa physica phaenomenorum mesmericorum, sed moralis tantum et mediata. 4. Causa proinde proxima phaenomenorum magneticorum est intelligens ac libera distincta ab anima humana. 5. Ejusmodi causa natura sua est anima humana praestantior ac praeternaturalis. 6. Ejusmodi causa esse nequeunt spiritus sive angeli boni. 7. Nulla alia causa magneticorum phaenomenorum admitti potest praeter spiritus pravos seu daemones (P. 2, S. 2. c. 4.). Idem dein probat de Spiritismi phaenomenis (c. 5.), et demonstrata analogia et iden-

lum nomen Jesu compescuit, ut audivimus, daemones horumque in obsessorum corporibus operationes, ita et fides in Christum ejusque sanctissimi nominis invocatio Spiritismi sectatorum jactationem, si quando insolescerent, coercebit.

---

titate inter superstitionem veteris, mediae ac recentioris aetatis, hanc statuit (c. 7. a. 3.) propositionem: Magnetismus animalis, somnambulismus ac Spiritismus in suo complexu nil aliud sunt quam paganae superstitionis atque *imperii daemonis instauratio.* Eo majoris autem facienda est haec clarissimi Theologi disputatio, quod omnia quae proponit ac defendit, verbis et confessione ipsorum adversariorum confirmet. Nobiscum autem plane consentiens animadvertit (in Conclus. op. n. 980): „Mirum porro nemini esse debet, si adeo satanas vel in ipso christianismo proficiat, et si ejus fraude homines ad pristinam formam, quae vigebat in paganismo revocari videantur. Siquidem quo magis homines a fide, moribus, doctrina, institutionibus abalienantur Christi Jesu, qui in mundum venit ut *dissolvat opera diabali* (1. Joan. 3, 8.), eo magis diabolus recuperat quod amiserat, suum antiquum imperium instaurat ac denuo se in illo constituit".

INDEX.

Pag.

Vita et passio S. Cypriani per Pontium ejus diaconum 1

Caput I. Auctor rationes scribendi exponit, Acta Martyrum olim diligenter litteris fuisse consignata perhibet 1

Caput II. Quae a Cypriano post baptismum facta sunt, enarrat. Continentia necessaria. Aliae Cypriani virtutes 3

Caput III. Ad sacros ordines cito promovetur. Sanctos sibi imitandos jugiter proponit . 5

Caput IV. Cyprianus a Caecilio ad fidem adductus 7

Caput V. Adhuc neophytus episcopatum assumere compulsus 8

Caput VI. Episcopalibus virtutibus emicat . 10

Caput VII. Proscriptus et ad leonem postulatus, prudenter secedit 11

Caput VIII. Idque accidit ex divinae providentiae consilio 13

Caput IX. Grassante dira peste plebem suam ad succurrendum ea infectis, etiam ethnicis, efficaci oratione adducit 14

Pag.

Caput X. De eodem argumento 16
Caput XI. Pellitur in exilium Curubin . . 17
Caput XII. A multis invisitur. Coelesti visione recreatus, de martyrio subeundo ejusque dilatione divinitus admonetur . . . 19
Caput XIII. Quam visionem auctor interpretatur, et veridicam fuisse probat . . . 21
Caput XIV. Imminente persecutione recusat fugere Cyprianus, suosque ad martyrium hortatur 23
Caput XV. Capitur. Plebs ante fores noctem excubat 25
Caput XVI. Postridie ad tribunal proconsulis ducitur 27
Caput XVII. Lata sententia 28
Caput XVIII. Capite plectitur 29
Caput XIX. Primus martyr episcoporum Carthaginensium 30
Admonitio in subsequentia opuscula S. Cypriani 32
Liber ad Demetrianum 34
I. Silentio calumnias S. Cyprianus contempserat 35
II. Respondet ad has calumnias, ne crimina agnoscat 36
III. Mundus jam senuit 37
IV. Ironiâ objecta eludit 38

Pag.

V. Calamitatum publicarum causa Dei contemptio 39
VI. Monita et minae Dei in divinis litteris 40
VII. Calamitates poenae malorum . . 41
VIII. Id illustratur exemplo 42
IX. Hominum in malo obstinatio . . 43
X. Exprobrat ethnicis eorum flagitia . 45
XI. Prosequitur ethnicis exprobrare eorum crimina 46
XII. Christianorum persecutio quam injusta 48
XIII. Persecutorum inconstantia . . . 49
XIV. Ratione non vi vincendum est . . 50
XV. Vel daemon testis est veritatis religionis christianae 51
XVI. Ethnicorum caecitas 52
XVII. Christianorum patientia et Dei ultio 53
XVIII. Christianorum in malis fiducia . . 54
XIX. Diversa conditio christianorum et ethnicorum licet iisdem adversis sint obnoxii 55
XX. Christianorum laeta in adversis patientia 56
XXI. Praedicta est divinitus injustis vindicta 58
XXII. Iram Dei evadunt soli christiani . 58

Pag.

XXIII. Hortatur ethnicos ut Deum agnoscant 60
XXIV. Fidei gloria et poena perfidiae . . 61
XXV. Hortatur idolorum cultores ut sibi prospiciant, dum tempus est . . 63
Liber de catholicae Ecclesiae unitate 66
I. Subdoli hostis insidiae sunt cavendae 67
II. Christi mandata servanda sunt . . 68
III. Maxime cavenda sunt schismata . . 70
IV. Unitas Ecclesiae 71
V. Episcopatus in Ecclesia unitas . . 75
VI. Non perveniet ad Christi praemia, qui relinquit Ecclesiam Christi . . 76
VII. Tunica indivisa Christi praefigurabatur unitas Ecclesiae 77
VIII. Verbis et typis inculcatur unitas in divinis libris 79
IX. In Ecclesia unanimes, concordes et simplices perseverant 80
X. Haeresis origo scissionis 82
XI. Scissionis auctores cavendi sunt . 83
XII. Dominus cum pacificis est . . . 84
XIII. Pacatum Deum habere non potest, qui cum fratre pacem non habet . 86
XIV. Schismatis crimen nec sanguine abluitur 87
XV. Praeceptis et monitis divinis obtemperandum est 89

Pag.

XVI. Schismata praedicta sunt . . . 90
XVII. Schismatici fugiendi sunt . . . 92
XVIII. Schismaticorum poenae in V. T. . 93
XIX. Gravitas criminis schismatis . . . 94
XX. Confessores sibi caveant a tanto crimine 95
XXI. Post confessionem periculum est majus, quia plus adversarius provocatus est 96
XXII. Quorundam lapsus aliis non obest . 98
XXIII. Seducti ad unitatem redeant . . . 99
XXIV. Pax amanda est 101
XXV. Exemplum primorum fidelium . . 102
XXVI. Quantum distamus a fervore primorum fidelium 102

Dissertatio theologica I.: Daemon vel invitus testis divinae originis religionis christianae 105

I. Quam frequens apud Patres argumentum ex daemonum expulsione petitum 105
II. Argumenti hujus momentum . . 106
III. Patres unanimes testantur daemones invocatione nominis Jesu pulsos fuisse 107
IV. Patres narrant quod experiendo dicerunt 111

Pag.

V. Facti hujus celebritas 114
VI. Facti frequentia 117
VII. Qua confidentia Patres ad hoc factum in disputationibus suis cum idolorum cultoribus provocent . . . 120
VIII. Tertulliani testimonium insigne . . 123
IX. Hoc facto multi inducti sunt ad amplectendam fidem Christi . . . , 125
X. Dotes hujus consensus 126
XI. Corollaria 128

A. M. D. G.